INSTITUTIONES JURIS CANONICI AD CLARISSIMORUM VIRORUM...

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

AD CLARISSIMORUM VIRORUM SCRIPTA

DILIGENTER EXACTAE

ET IN HAC ALTERA EDITIONE

NOTIS AUCTAE

AB JOSEPHO CANTINI

IN PISANA ACADEMIA

ANTECESSORE

TOMUS SECUNDUS

PISIS

APUD NICOLAUM CAPURRO

MDCCCXVI.

SUPERIORUM PERMISSU

INDEX

INDEX TITULORUM LIBRI III.

INDEX TITULORUM LIBRI IV.

LIBER III.

TITULUS PRIMUS

De spirituali, ac temporali Ecclesiæ Iurisdictione.

Cum sacram, ac religiosam Rempublicam, Ecclesiam scilicet, et in ea Præsules, atque Rectores cum imperio ac potestate ferendarum legum Christus Dominus, ut jam vidimus, constituerit; consequens erat, ut in ea quoque haberentur Magistratus, et Iudices, qui latarum legum custodiam urgerent, et si quando controversia, aut lis emergeret de rebus, iuribus, ac personis ad Ecclesiam spectantibus, eamdem auctoritate sua, idest divinitus accepta *jurisdictione* (1) dirimerent.

(1) Iurisdictionis vocabulum vel proveniat ab *jure dicundo*, vel potius ab *jure*, et *ditione*, certum est, quoad eius significationem, latius patere in jure Ecclesiastico, quam in jure civili Romanorum, qui ab jure dicundo jurisdictionis nomen repetebant. Potestas autem in Romana Republica quadruplex erat, nempe *majestas*, *imperium*, *iurisdictio*, *et notio*. Majestatem appellabant supremum jus, caeterorum omnium jurium originem, ac veluti fontem, ex quo praesertim in ferendis legibus omne jus et potestas manaret, et haec maiestas primum Reipublicae liberae inhaerebat, deinde ad Imperatores translata est. Imperium autem erat potestas coercendi facinorosos homines, alias gladii potestas nuncupata, aliquando in populo residens, postea Magistratibus jure singulari concessa. Iurisdictio vero potestas erat illa cognoscendi, judicandi, judicatum exequendi, et judicem dandi, in Magistratibus residens

Iurisdictio enim hoc loco (namque alibi aliter ea voce usi sumus) est *publica noscendi ac definiendi causas, et sententias exequendi potestas, et auctoritas*. Quæ vero Ecclesiæ Præsulibus competit istiusmodi potestas, et *Ecclesiastica* proinde vocatur, vel Spiritualis est, vel Temporalis.

Spiritualis iurisdictio quidem eas respicit ex dictis causas, quæ recte ad animæ salutem referuntur; et ex proprii ministerii vi, habita omnium Christi fidelium ratione ius dicere possunt Universalia Concilia, Summusque Pontifex, quoad vero certam regionem, certumque populum Episcopi, cæteri plures, quos in Prolegomenis, et primo harum Institutionum Libro recensuimus.

vi proprii officii, cum quodam jmperio coniuncta, ne inanis omnino jurisdictio eveniret, quod imperium, ut a *mero* secerneretur, *mixtum* vocaverunt; demum potestas cognoscendi tantum, et judicandi *notio* dicebatur, quae competebat pedaneis judicibus, et datis Magistratuum auctoritate, instar propemodum Arbitrorum. Sed in jure Ecclesiastico Iurisdictio cunctas Ecclesiae facultates complectitur, ut si de quibuslibet ferendis legibus ad spiritualia bona assequenda, et ad Ecclesiasticae Reipublicae regimen agatur, vel de coercendis per censuras criminum reis, vel alio modo ad eam pertinentes, quae tamen generalis iurisdictionis significatio, usu loquendi ita contracta fuit, ut duplex in Ecclesiae ministris distingueretur potestas, ordinis nempe, et jurisdictionis in specie, de quibus in Titulo II. primi libri jam actum est. Veteres autem Patres Ecclesiae ad significandam Ecclesiasticam potestatem non *jurisdictionis* vocabulo, sed *auctoritatis*, *et potestatis* communiter usi sunt. Primus qui hanc vocem usurpavit ex nonnullorum sententia fuit S. Gregorius magnus *in Epistola* 8. *lib. XII.*, ex quo tempore ea vox in jure Canonico recepta est. Nullus autem dubitandi locus esse potest, divinitus acceptam ab Apostolis auctoritatem semper in Ecclesia permansisse: et *Spiritus Sanctus*, teste Divo Paulo in Actis Apostolorum, *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

Temporalis Iurisdictio ad ea pertinet, quæ circa huius mortalis vitæ utilitatem, ac bona versantur; et extraordinarie, non ex proprii officii vi, sed ex acquisitis privilegiis ab Ecclesiæ ministris exercetur. Cum enim a primis Ecclesiæ incunabulis Episcopi æqui, bonique regulas sine tricis, implexisque anfractibus fori sanctissime in iudiciis servare consuevissent, Christiani Principes Episcoporum eorumdem (ut tum temporis dicebatur) *Audientiam* ad temporales quoque causas latis legibus extenderunt; ac proinde laicis Episcopali uti iudicio volentibus id libere permissum: Clericorum autem, et Monachorum lites quasvis ab Episcopis iudicandas esse statutum, seu, ut alii malunt quoad sacratos saltem Clericos agnitum, confirmatumque fuit (2). Sed hæc Episcoporum jurisdictio per exemptiones admodum est imminuta.

Exempti (3) vocantur ii, qui ab ordinaria ecclesiasticorum Præsulum iurisdictione immunes Romano directe Pontifici subiiciuntur. Eiusmodi autem privilegia, quæ in Regularium favorem primum invaluere, Canonicorum deinde Capitulis, Universitatibus, ac singulis etiam personis communicata

(2) Vid. Tit. de *Episcopali iud.* ad calc. Cod. Theod Lib. 16. Tit. 4. Lib 1. Cod. Iustin. de *Episcop. Audientia*, et Novel. 79., et 83. etc., ut in not. Fran. Foggi. h. t.

(3) In veteri Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati subiiciebantur Monachi, patet ex Canone IV. Concilii Chalcedonensis. At progressu temporis Episcopi saepe sua auctoritate in Monachos abusi sunt. Saeculo quinto, et sequentibus eximi coeperunt Monachi

sunt (4). Hinc orta exemptionum distinctio, ut et privilegiorum (5) omnium, in *personales*, quibus ita personæ donantur, ut ubicumque ipsæ degant, exemptione gaudeant, et *locales*, quæ personis conceduntur in Monasterio, vel alio certo loco morantibus; ita ut, si ad alia transeant, exemptione

ab Episcoporum potestate. In Africa primum, et in Oriente exemptiones originem habuerunt; nam Primates Carthaginenses quaedam Monasteria sibi subiecerunt, et ea ab Episcoporum jurisdictione exemerunt. Plurimae commemorantur exemptiones, et privilegia, quae Monachos soli Pontifici subiiciunt a S. Gregorio Magno, et aliis Pontificibus concessa; ut est illud, quod Zaccharias Pontifex Fuldensi Monasterio dedit, ut videre est apud Baronium, ad an. 755. In Concilio Lugdunensi I. sub Innocentio IV. statum est *personas exemptas si extra exemptum locum deliquerint, posse citari et conveniri coram Ordinario, et ab eo puniri*; quod decretum confirmavit Tridentina Synodus *Sess. 7. Cap. 14. de reformat.* his verbis: *In exemptorum causis Constitutio Innocenti IV. quae incipit* VOLENTES *in generali Concilio Lugdunensi edita servetur, quam eadem Sacrosancta Synodus innovandam censuit, et innovat*.

(4) Vid. s. Bernardi libr. *de Considerat.*

(5) Privilegium, quod idem sonat ac *Lex privata*, est jus singulare contra, vel praeter jus commune, ob aliquam utilitatem a Principe concessum, et a dispensatione differt, quia dispensationis nomine intelligitur concessio alicui facta contra jus commune, ad unum aliquem actum exercendum, ut ad matrimonium contrahendum etc. quo actu posito, cessat dispensatio. Privilegiatus non tenetur uti privilegio *privato*, quia favori suo renunciare potest, nisi per accidens oriatur obligatio; at si privilegium sit ex fine suo *publicum*, tenetur uti: nam favori publico non potest renunciare privatus. Circa Regularium privilegia observandum, omnia fuisse a Tridentina Synodo revocata, quae decretis *Sessionis* 25, *de Regularibus* adversantur; non vero illa, quae aliis decretis resistunt clausulam derogatoriam non habentibus. Privilegia vero vivae vocis oraculo concessa, hodie revocata sunt, per Constitutionem Urbani VIII. incip. *Alias*; et Gregorii XV. incip. *Romanus*. Quae autem post dictas Constitutiones viva vece concessa sunt pro foro interno valere probabilius esse videtur, cum ad privilegii substantiam scriptura non requiratur; at in foro externo non prosunt, nisi fuerint authenticata per publicos officiales Pontificis ad id constitutos, ut statuitur in *cit. Constit. Urbani VIII.*

minime perfruantur. Verum exemptiones, ubi vigent, ad ea non extenduntur, quæ uniformem respiciunt, communemque totius Diœceseos cultum, cuiusmodi est Festorum, ieiuniorumque observatio; atque ad eas tantum restringendæ sunt causas, quæ in Pontificiis litteris exprimuntur, atque in his obtinet Iuris Regula = *Odia restringi, et favores convenit ampliari* (6). Odiosum quippe est contra Ius commune venire.

Verum passim in Tridentina Synodo cautum legitur, ut Episcopi in exemptos tamquam Apostolicæ Sedis Delegati procedant. Qua in re per multum interest animadvertere, qua dicendi formula ea delegatio Episcopis attribuatur, ut notant Interpretes.

TITULUS II.

De Iudiciis. Tit. I. Lib. II.

Iudicium (1) *est legitima causæ controversæ inter*

(6) Trid. *Ses.* 21. *Cap.* 8. *Ses.* 22. *Cap.* 8. *Ses.* 25. *Cap.* 8. *et* 11. *etc. de Regular.*

(1) Si judicia spectentur quoad substantiam, ex jure naturali descendere manifestum erit, cum ratio ipsa demonstret in Republica aliquas personas publicas esse oportere, quae litigantibus jus dicant, ne causae per vim dirimantur. At quoad solemnitates Iudicium est Iuris Civilis et Canonici, quia istae inventae sunt ab iure Civili, et deinde in Canonicum translatae. Quamvis autem nonnulli confundant judicium cum quaestione, causa, lite, et instantia, nihilominus prorsus haec omnia differunt. *Quaestio* enim est ius ipsum, de quo controvertitur, et in judicium deduci potest. *Causa* est idem jus, quod actu in judicium deductum est. *Lis* est

Actorem, et *Reum coram Iudice discussio*, ab eoque *facta decisio*.

Ut iurisdictio, ita et iudicium primo dividitur in *spirituale*, in quo de re, aut iure spirituali agitur, *temporale*, in quo agitur de re temporali, et *mixtum*, quod ex utroque trahit.

Dividitur præterea iudicium in petitorium, et possessorium. *Petitorium* est, in quo de proprietate agitur, vel de alio iure seorsum a possessione, vel quasi. *Possessio* dicitur de rebus corporalibus, puta prædiorum, *quasi possessio* de incorporalibus, uti sunt servitutes prædiorum, usus, ususfructus etc. Dicimur autem agere petitorio, si petamus hæreditatem, vindicemus servitutem, vel quocumque de iure, puta eligendi, aut de dominio disceptamus. Iudicium *possessorium* est, in quo de sola possessione quaeritur, nempe possideat ne quis, an non, et de adipiscenda, retinenda, et recuperanda possessione, reservata quæstione dominii ad maturius examen. Etenim nihil habet commune possessio cum proprietate, licet possit utrumque iudicium cumulari (2). Separata vero quæstio de possessione præstat, ut possessione probata, adversario in-

actia, qua in Iudicium deducitur res ipsa controversa. *Instantia* demum est actionis exercitium, quod litis contestatione incipit, et expeditur vel sententia definitiva, vel lapsu temporis a iure praescripti.

(2) Cap. 3. 4. 6. *de Causa poss. et propriet.* L. *Naturaliter* §. *nihil ff. de acquir. pos.*

cumbat probare ius suum in petitorio: quo non probato res manebit apud possessorem.

Dividitur etiam iudicium in extraordinarium, et ordinarium. *Extraordinarium*, quod et *summarium* (3) dicitur, est, in quo negliguntur solemnia, et subtilia iudiciorum, servatis tantummodo *substantialibus*, nempe iis, sine quibus veritas non cognoscitur. Talia sunt iudicia possessoria, causae electionum, haereseos, decimarum, spiritualesque omnes; in quibus sufficit adducere probationes necessarias, citare, iurare, si oportuerit, de calumnia, et sententiam proferre in scriptis iudice stante, vel sedente (4). *Ordinarium* vero est, ubi solemniter proceditur, servatis omnibus iudicialibus actis, quæ ordinem iudicii, formamque costituunt.

Denique cæteris omissis præcipua eorum, quæ hic a nobis exponi debet iudiciorum divisio, est quod alia circa res, et iura de quibus disputari potest uni an alteri debeantur, institui solent, ac *Civilia* vel etiam apud iuris Canonici consultos dicun-

(3) Iudicium *summarium* potissimum instaurari solet, vel quia celerem expeditionem causa ipsa requirit, ut sunt pleraeque causae ad Ecclesiam spectantes, *Clement. Dispendiosam hoc. tit.* vel illae, quae alimenta respiciunt, vel quia agitur de causis parvi momenti; vel si agatur in judicio possessorio, quod viam expediat ad subsequens petitorium. Si summarie procedendum sit ob causae brevitatem, causa summaria dicitur quoad probationes, et solemnitates, et sufficit semiplena probatio; Si autem procedatur summarie eo quod causa celerem rei expeditionem requirat, tunc plerumque plena probatio est necessaria, si causa aliquem detrimento afficiat, quod facile reparari non possit; et solum dicitur summaria, quoad nonnullas Iudicii sólemnitates.

4 Cap. *Novit.* h. T. Clement. *Saepe de Verb. S* et Clem. 1. h. Tit.

tur; alia vero, quæ vocantur *Criminalia*, sunt in quibus ad examen maleficia, vel delicta revocantur, ac reorum pœnæ definiuntur.

TITULUS III.

De Officio Iudicis. Tit. 32. L. 1., *et de Arbitris* Tit. 43. eod.

Vir bonus, iurisque prudens, et iurisdictione præditus, qui iudicio præest, ac de re controversa sententiam profert vocatur *Iudex* (1). Sunt autem Iudices, vel Ordinarii, vel Delegati. Est *ordinarius* Iudex, qui universalem iurisdictionem habet vi mi-

(1) Nullus inferior potest esse Iudex in causa propria, quae cedit in eius commodum, et utilitatem. Qua de re in *Can. Inter querelas 27. Caus. 23. qu.* 4. scribens Gregorius M. Ianuario Episcopo, eum reprehendit, quod ob iniuriam sibi illatam quendam excommunicaverat; in his enim causis suspicio adest iniqui iudicii. Si autem causa non est propria, sed officii, vel Ecclesiae, aliter se res habet. Hinc Iudex iniuriam notoriam sibi, ut Iudici, illatam ad publicam vindictam punire potest, et Episcopus in Causa suae Ecclesiae, quae non sit ipsi communis, potest iudicium ferre. Si vero de Supremo Principe agatur, ut de Summo Pontifice, Imperatore, Rege, non est dubium quin possit etiam in propria causa judicare, quae inter ipsum et subditum mota fuerit. Princeps enim inferioris Iudicio minime tenetur se subiicere; et summa dignitas ac aequitas in Legislatore praesumpta satis suspicionem avertit; quamvis consultius esset, ut in his causis arbitri eligerentur. An vero Iudex inferior Pontifice incidenter valeat de privilegiis a Pontifice concessis cognoscere, tenent Doctores quod si controversia ad praejudicium tantum, litigantium rationem habeat, ita ut in eo solum vertatur quaestio, an privilegiatus capax sit ad habendum privilegium, vel an privilegium sit surreptitium, vel falso impetratum, tunc posse inferiorem cognoscere de hac exceptione: nam hoc in casu, potius de ipso privilegiato, et de jure illi competente, quam de privilegio fit judicium.

nisterii sui, quales Episcopi, Legatus etc. (2) qui etiam iurisdictionem suam alteri delegare possunt, uti Legati Sedis Apostolicæ, qui habent et ipsi ius delegandi; cum sint instar ordinariorum. (3) Iudex vero *delegatus* est is, qui non habet iurisdictionem iure suo, sive iure Magistratus, sed mandatam sibi ab alio, nempe a Iudice ordinario: quapropter non potest eam iurisdictionem alteri mandare, seu *subdelegare*, nisi delegatus sit a Principe, tum enim id illi permittitur (4).

Sed et aliud est maxime utile Christianæ Reipu-

(2) Hic velim animadvertas, quod etsi Parochi in foro interno sint praediti jurisdictione ordinaria, vi sui ministerii, nihilominus ex veriori recepta sententia ea non gaudent in foro externo; ideoque *jure proprio* nequeunt sententiam proferre excommunicationis; nam censuras minime profert nisi is qui habet jurisdictionem in foro exteriori, ubi de causis, servata forma judicii, cognoscat; ut colligitur ex Cap. *Quaerenti*, de *verb. signif.* Cap. *Archidiaconis* de *Offic. Archid*; et Cap. *Cum medicinalis* de *Sent. excommunic. in VI.*; et quamvis Alexander III. in Cap. *Cum ab Ecclesiarum* 3. de *Offic. Iud. Ordinar.* praecipiat Florentino Episcopo observari excommunicationem a Plebano S. Pancratii in Clericos vel Laicos latam, probat Gonzalez ad *dictum Cap.* id Pontificem statuisse hoc in casu, quia Parochus jurisdictionem contentiosam in foro exteriori habebat, ut eam acquirere possunt Parochi privilegio, vel consuetudine.

(3) Cap. 2. *de offic. Legat.* in 6. Clement. unic. eod.

(4) Etsi delegatus ab inferiore, vel ab alio quam a Pontifice jure communi subdelegare non possit, hoc tamen non procedit in delegato *ad universitatem causarum*, qui ut in praxi servatur subdelegandi auctoritatem habet, cum ex universali jurisdictione, qua praeditus est, veluti Ordinarius videatur; qua de re a sententia delegati ad universitatem causarum, non datur appellatio ad delegantem, cum quo idem quasi tribunal efficitur, sed ad superiorem delegantis; ita Fagnanus in *Cap. Cum causam de appellationib. a num. 2. ad 7.* Et sicut jurisdictio delegata non extenditur de persona ad personam, Episcopus procedere nequit in causa a Pontifice delegata Vicario Generali, nec e converso. Idem *in Cap. Quoniam De officio delegat.*

blicæ, atque commendatum genus iudicum, qui arbitri nominantur, quorum licet iurisdictione carentium sententiæ, quæ *Laudum* barbara voce, latine *Arbitrium* dicitur, sese in re controversa decidenda mutuo consensu partes subiiciunt; qui quidem consensus mutuus *Compromissum* appellatur. Arbitrorum autem consensus in Compromissum veteres Iurisconsulti dixere *Receptum:* unde *Compromissarii Iudices* vel *Recepti arbitri*.

Est autem vel *arbiter iuris*, quando alicuius arbitrium eligitur iure vel statuto aliquo, aut consuetudine ita iubente, ut evenit inter proxime coniunctos invicem litigaturos, qui etiam dicitur *Arbiter necessarius*; vet est *Arbiter voluntarius*, qui suscipitur sponte a partibus, ut sine ulla iudiciali figura apud eum disceptetur. Unde voluntarii, non autem necessarii, omni iurisdictione carent, nuda notione contenti, et eorum sententia, quia prorsus negligunt in iudicio omnem formam iuris, appellationem non recipit (5), eaque tantum *boni viri arbitratu* corrigitur.

Porro ex eo quod arbitria compromisso nitantur consequitur 1. ut Compromissum a receptis arbitris sit religiose servandum: aliter ii nihil agunt. 2. Ut si pœna adiecta quovis modo fuerit compromisso, eadem utroque iure præstari debeat ab eo,

(5) Vide Titulum XXII. huius libri *de appellationib*, in notis.

qui arbitrio stare nolit; sin minus arbitrium tam exceptionem, quam actionem parit iure Canonico, quod utroque in foro invaluit: agi potest scilicet contra non parentem ad id quod interest (6), refectis sumptibus litis. Cæterum si arbitrium vel laudum tacite vel expresse *Homologatum*, idest adprobatum fuerit, vel iureiurando firmatum, ei erit ab utraque parte parendum (7). *Expresse* dicitur adprobatum arbitrium, puta per subscriptionem: *tacite* si reductio illius non petatur intra decem dies a bono viro, idest ordinario iudice, ad quem pertinet arbitrii exequtio.

Ex eodem principio efficitur etiam 3. Ut *compromittere* illi nequeant, qui res controversas administrare, ac circa ipsas in iudicio agere prohibentur: 4. demum ut *compromitti* nequeat in causis a iure positis extra privatorum arbitrium, cuiusmodi sunt causæ exemptionum, criminales, liberales, item eæ, in quibus agitur de matrimonii vinculo: unde recte de sponsalibus apud arbitros agi potest, quippe quæ mutuo dissensu solvuntur.

Iure Civili, cui plerumque hac in re congruit Canonicum, Iudices esse non possunt, nec arbitri qui ratione carent, coeci, muti, et surdi, (8) minores viginti annis, nisi publicas exerceant Præfe-

(6) Cap. *per tuas de Arbitr.*
(7) Cap. 2. *et dict. C.* h. t. et tot titul. *de iureiur.*
(8) Cap. *Caussa* 9. *de integr. restit.*

cturas (9), servi ac mulieres, si Principes, illustresve foeminas excipiatis. (10) Speciali autem Canonum statuto ab eiusmodi munere arceantur sine Superioris iussu Regulares (11); in Causis spiritualibus Laici, nisi cum auctoritate iudicis Ecclesiastici Clericis in sententia vel arbitrio ferendo adiungantur; (12) excommunicati (13), et infames Iudices esse nequeunt, licet hi ab arbitrio expressa iuris constitutione minime repellantur; (14) cumque iure Civili Iudices ordinarii recipere nequeant arbitrium, Iure Canonico non prohibentur (15).

Iudex definitiva lata sententia, eaque, si iurisdictione polleat, executioni mandata, functus est officio suo, et ad eam causam quod attinet, eiusdem potestas expirat: quæ in delegato finitur etiam revocatione delegantis, eiusque morte, si res adhuc integra sit (16); tum impedimento ipsius delegati, vel morte, nisi officium, dignitasve, potius quam persona in delegatione designata fuerit; (17) lapsu-

(9) L. 41. D. *De recept. et qui arb. etc.* et L. 57. D. *de re iudic.*
(10) L. 12. §. 2. D. *de Iudic.* L. 3. D. *offic. Praet* Can. 2: §. 19. III. Q. 7. et Cap. 4. *de Arbitr.*
(11) Cap. 2. *de postulando*.
(12) Cap. 2. *de iudic.* et C. 8. et 9. *de Arbitr.*
(13) Cap. 24. *de sent. excomm.*
(14) Cap. 87. *de reg. iur.*
(15) Cap. 2. §. 19. III. 9. 7. Can. 7. 34. II. Q. 6. et Cap. 7. *de Arbitr.* et C. 21. *de Praeb.*
(16) C. 19. et 30 *de offic.* et *et potest. iud deleg.* C. 6. eod. in 6.
(17) Cap. *Quoniam* 14. eod.

que temporis in eadem definiti, nisi communi partium consensu id prorogetur (18).

In arbitro vero abrumpitur causæ cognitio morte, aut contraria voluntate compromittentium; item morte vel unius ex pluribus arbitris, nisi vel in eorum quemlibet in solidum, vel in Collegium quoddam, vel in personam, habita tantum ipsius officii dignitatisve ratione, compromissum fuerit; præterea superveniente arbitris dignitate, recusatione alterutrius litigantium propter iustam suspicionis causam; ordinario iudicio inter partes inito, ac lapsu temporis in compromisso ad finiendam causam constituti, seu non servata eidem apposita conditione (19).

Cæterum suspicionis ob causam recusatio et contra iudices tam ordinarios, quam delegatos locum habet (20).

At vero interdum evenit, ut per se ipsum Iudex, eo quod iuris destituatur peritia, aliave iusta de

(18) Cap. *De Causis* 4. eod. in 6.

(19) Heinecc. Iur. Nat. et Gent. Lib. II. n. 156. Lampredius Iur. Publ. Univ. P. II. c. 3. §. 17.

(20) Recusatio est judicis suspecti declinatio ex probata suspicionis causa litiganti concessa. Appellatione, non minus quam recusatione ab jurisdictione, et a foro Iudicis receditur; et in multis differunt inter se. Nam appellatio fit ab Iudice gravante ad superiorem, et *ordinarie* post sententiam; e contra recusatio fit ab initio ante litem contestatam, nisi post contestationem causa emergat recusandi, et fit etiam ab judice non gravante, neque ad superiorem. Vicarius generalis coram Episcopo recusari potest, quamvis non possit ab illo appellari ad Episcopum. Cap. 4. de Offic. delegati.

causa litem decidere nequeat: ac tunc aliquem probum, iurisque peritum assumere debet, qui ei auxilietur, et adsideat, ex quo *Adsessor* dicitur; præsertim si id litigantes requirant (21). Adsessor autem ipse ad ea fere omnia præstanda tenetur, quæ de officio Iudicis exposuimus (22).

Utuntur etiam Iudices aliorum Ministrorum opera, quales sunt *Referendarii*, *seu Relatores*, *Cancellarii*, *Notarii*, *Actuarii*, ac tandem *Apparitores*, vel *Nuncii*, quorum munus vix est ullus, qui ignoret.

TITULUS IV.

De Actore, et Reo.

Qui *in alterum* apud *Iudicem agit*, *suumque* ius *persequitur in civili iudicio* vocatur *Actor*, in *criminali* proprie *Accusator;* at vero contra quem agitur, in utroque iudicio, civili quidem a *re* petita, criminali autem a *reatu* dicitur *Reus*.

Utrumque standi in Iudicio facultate præditum esse oportet: qua carent 1. Natura incapaces ad agendum. 2. Minores sine tutorum vel Curatorum consensu (1). 3. filiifamilias iniussu patris, excepto

(21) Const. Leonis X. apud Van-Esp. I. E. Univ. P. 3. Tit. 6. Cap 1. num. 26.
(22) Cod. Theod. Tit. 12. Lib. I. et Cod. Iustin. Tit. 51. Lib. I. *ad Adsess*. Tit. 22. Lib. I. *de off. Adses*. et Nov. 60. Cap. 2.
(1) Cap. ult. *de Iudic*. in VI.

peculio Castrensi vel quasi. 4. Servorum ad instar Monachi sine venia Superioris, nisi spiritualia sibi competentia iura prosequantur, vel contra suos præfectos agere velint (2). 5. Præterea infames, et excommunicati, qui ad defensionem tantum per procuratorem (3), non autem ad agendum admittuntur, nisi in ipsa excommunicationis caussa, vel ubi periculum animæ aut in mora sit. Quare excommunicatis reis *reconventio*, seu *mutua petitio* denegabitur. Verum in causis spiritualibus quisquis pubes rite agit, nisi aliunde excipiatur.

Quamquam explorati iuris est, neminem ad agendum in propria causa obligari; non est tamen prætereundum utrique foro probatum remedium Legis *diffamari Cod. de ingen. et manumiss.*; eo enim quis ad agendum cogitur ut vel probet, quod iactat in vulgus, vel ab iactantia et molestia quam alteri minatur cesset, dum de diffamatione satis constet. Cumque diffamans habeatur actor, iam receptum videtur, ut is ad diffamati forum pertrahatur ex pervulgata Regula = *Actor sequitur forum Rei* = (4).

(2) C. *Cum deputati* 16. eod. et C. *ex part. de accusat.*

(3) Cap. 2. 5. et 12. *de exception.* C 7. *de Iudic.* Cap. 1. *de rescript.* in 6. et C. 8. *de sentent. excom. in 6.*

(4) Haec juris regula quasdam admittit limitationes. Apparet enim ex L. Venditor *ff. de Iud.* quod ubi quis se obligavit de evictione, defensurus emptorem, sequitur forum emptoris denunciantis molestiam. Item in nonnullis locis, consuetudo contraria est. Idem dic in causa reconventionis; actor enim fit reus, in eumque mutuo agitur coram actionis judice; et similiter in Fisco. Cur an-

TITULUS V.

De Procuratoribus. Tit. 38. Lib. 1. *et de Postulando* Tit. 37. eod.

Qui per se agere nolunt, aut nequeunt, plerumque procuratore utuntur (1) qui ex Ulpiani defini-

tem actor debeat adire judicem rei, non una est Canonistarum sententia. Covarruvias *Practicarum Cap.* 7. censet hoc ideo fuisse dispositum, quia reo leges sunt favorabiliores, quam actori. Iam vero non moveri reum a loco, ubi Iudex est, cum minuantur impensae, in eiusdem commodum constat redundare.

(1) Lege XII. Tabularum, de reo in judicio vocato, et adversa valetudine laborante, cavebatur ut jumento veheretur; haec sunt legis I. Tabulae verba: SI MORBUS AEVITASVE VITIUM ESCIT QUIN JUS VOCABIT JUMENTUM DATO: SI NOLET ARCERAM NE STERNITO. Ad hanc legem vid. *Gravin. Orig. Iur. Civ. Lib.* 2. §. 65. Primo igitur non licebat per procuratorem agere nisi *pro populo, pro libertate, pro tutela. Iustinian. instit. princ. titul. de iis per quos agere possumus*. Populus enim Romanus per procuratorem agere potuit, quia factu impossibile est, ut totus Populus conveniat: libertas etiam procuratorem eius vindicem habebat, et tutor procurator erat pupilli, qui per aetatem legitima caret persona standi in judicio. Deinde addit Iustinianus Imperator alterum tempus, legis nempe Hostiliae, cuius fuit auctor Consul Hostilius anno Urbis 580. ibi: *Praeterea Lege Hostilia permissum erat furti agere eorum momine qui apud hostes essent, aut Reipublicae causa abessent, quive in eorum cuius tutela essent*. Denique jure novo cuique permissum fuit causam suam procuratori committere, et ex verbis ejusdem Imperatoris ibidem, *coeperunt homines per procuratores litigare*, colligunt interpretes procuratorum munus *consuetudine* invaluisse. Revera procuratorum usus equidem necessarius, ad illud spectat, quod qui morbo, aetate, seu absentia in judicio interesse minime possunt, per alios agant, et se defendant; et sicut hic usus in gratiam, et favorem litigantium fuit introductus, litigantes non sunt cogendi eo uti beneficio, et procuratorem constituere; quod tamen procedit in causis gravioribus, ut libertatis, honoris, seu maioris partis bonorum, Cap. *Frequens* §. *illud de restit. spoliat. in VI.* non autem in causis levioribus,

tione *is est*, *qui aliena negotia mandatu domini administrat*. Ergo in mandante requiruntur simul dominium, libera rerum administratio, et consentiendi facultas (2).

Sunt autem Procuratores vel *extraiudiciales* ad negotia extra iudicium gerenda, vel *iudiciales* ad suscipiendas et agitandas in iudicio causas nomine alieno, de quibus tantum hic agimus.

Constitui Procuratores possunt in iudiciis quicumque non prohibentur. Prohibentur vero 1. minor XXV. annis ex iure communi, ut plures existimant (3) 2. Mulier propter sexus pudorem (4) 3. Miles. 4. Redemptores litium. 5. Excommunicatus. 6. Fiscus, Universitas et Civitas, ne publica potentia privatum ad-

in quibus cum ordo juris strictius attendatur, reus compelli potest ad procuratorem constituendum, ut tradit Gonzalez in Cap. *Querelam*, 2. *de Procurator.* qui late disserit de assertione communiter deducta ex textu in *dicto Capite*, nempe: *ob infirmitatem in judicio non comparens, nec procuratorem constituens, non debet ideo condemnari in expensis*.

(2) Vid. Instit. Iustin. Tit. *de Mandat.* ibiq. DD.

(3) Licet quamplures existimaverint aetatem sufficere septedecim annorum ad procuratoris officium obeundum, notat Gonzalez in Cap. *Non iniuste de Procurator.* hoc tenendum esse in procuratore ad negocia constituto, qui omnia gerit ex persona domini: at e contra procurator ad litem, per litis contestationem eiusdem dominus evadit, et tamquam dominus causam in judicio prosequitur; et cum nequeat minor XXV. annis se efficaciter obligare, nequit etiam procurator in judicio constitui, nisi agat in causa propria, vel ut patris procurator.

(4) Foeminae, et minores, qui tamquam procuratores in Judicio non admittuntur, tamen possunt admitti ut *excusatores*. Hic excusator qui dicitur *absentiae* longe differt a procuratore; excusator enim admittitur tantum, ut absentiae causam referat, et coram Iudice proponat. De eis agit Rebuffus *ad Leg. Galliae Tit. de executoribus*.

versarium opprimant. 7. Qui reipublicæ gratia est abfuturus. 8. Episcopus, et universi sacrati Clerici, aut Beneficiarii, et Monachi, exceptis Monasterii causis, ne a Divino Ministerio abstrahantur. 9. Regulariter Clerici prohibentur apud iudicem sæcularem *postulare*, in iudicio nempe agere, nisi pro Ecclesiæ suæ causa, vel necessitate coacti pro coniunctis, aut miserabilibus personis (5). 10. Demum reus criminis constitutus, nisi se primum purgaverit (6).

Non tamen in omnibus causis dari Procurator potest, cuiusmodi sunt, *liberales* et *criminales graviores*, nisi civiliter agatur, aut si illustris persona sit ad propulsandam iniuriam, aut ad excusandam contumaciam.

Advocatorum etiam opera utimur, qui alienas causas tam scriptis, quam voce patrocinantur in iu-

(5) Vid. hoc tit. in Cod. et Cap. ult. *de postuland.*

(6) Plura occurrunt notatu digna apud interpretes in Cap. *Non iniuste* 14 *de Procuratorib.* Filiusfamilias dum habeat legitimam aetatem, nempe viginti quinque annos, recte constitui potest procurator in judicio tam ad agendum, quam ad defendendum sine patris consensu; quia a procuratoris officio regulariter ii tantum arcentur, qui expresse prohibiti sunt, ut ex Cap. *Non indiscrete* 1. *de Procurator. in VI.* Insuper notatur dari posse procuratorem ad futuras causas; et plures etiam constitui procuratores unius litis; quo casu si diversis temporibus dati sint, posterior tantum admittitur in judicio; si vero plures simul sint constituti, omnium equidem constitutio valet; sed ille praefertur, qui primus litem contestavit, quia dominus litis effectus est. *Cap. Si duo de Procurat. in VI.* Demum procurator et ad litem prosequendam tenetur, et ad appellandum, non autem ad prosequendam appellationem. Vid. etiam *Gloss. in dict. Cap. Non iniuste h. t. §. potuit.*

dicio, sive consilium litigantibus præbent. Hinc in eo Procuratores differunt ab Advocatis, quod illi vice dominorum quidquid opus est in causis defendendis perficiunt, et circa facta occupantur; Advocati autem in iis quæ iuris sunt omnino versantur: quamvis sæpe eiusmodi officia una eademque persona peragit.

Ob superius allatas causas ab hoc etiam officio ii excluduntur, quos in §. superiori num. 8. et 9. recensuimus; sed cæteri clerici Advocatorum munus obire possunt, dummodo se criminalibus Iudiciis contra reos non immisceant: imo vero si Clericus contra Ecclesiam, in qua beneficium habet Procurator, vel Advocatus fuerit, beneficio ipso, tanquam ingratus spoliabitur (7).

Qui negotia Universitatis administrat *Syndicus* dicitur: qui omnino est per suffragia eligendus, munusque suum exercet tam in civilibus, quam in criminalibus causis, atque hic iureiurando fidem obligat suam. Unde patet quantum Syndicus a Procuratore differat (8).

(7) Vid. Cap. 1. et ultim. *de postuland.* vid. Bened. XIV. *de Synd.* D. L. 13. C. 10.

(8) In decretalibus Gregorii IX. extat Titulus *de Syndico*, qui est 39. *Lib. I.*, quique unico capite constat. Differt hic Decretalium Titulus a praecedenti de *Procuratoribus*; nam in illo de procuratoribus agitur privatorum, et in hoc de procuratoribus Universitatis, Monasterii, vel alterius Communitatis. Qui ad negotia vel Universitatis et Reipublicae, vel Ecclesiae et Monasterii in judicio tractanda constituti sunt, utroque jure dicuntur Syndici, seu defensores. *L. 1. §. 2. L. munerum* 18. *§. defensores ff. de muner.*

Expirat autem procuratoris mandatum pluribus modis: 1. morte mandantis, re integra, lite scilicet non contestata; lite tamen contestata, potest mandatum expirare, si Praelatus, vel alius pro Ecclesia, vel beneficio procuratorem constituerit. Nam Prælato, vel alio decedente, Sedeque vacante, is non progreditur (9). 2. Morte ipsius Procuratoris; mandatum enim non transit ad hæredem. 3. Mutuo dissensu constituentis et constituti (10). 4. Per revocationem a domino factam lite nondum contestata; nam lite contestata, Procurator dominus litis ex antiquo R. iure censetur, nonnisi ex iusta causa revocandus, veluti si suspectus sit, vel affinis detegatur adversarii, vel morbo affectus. 5. Demum si dominus litem per se agere velit.

et honorib. Cap. Veniens 2. de in integrum restit.; qui vero Reipublicae, vel Universitatis negotia administrant jure civili dicuntur *actores*; *L. Nec civitatis 74. ff. de procuratorib.* qui Ecclesiae, aut Monasterii bona curant, dicuntur *Oeconomi*. Cap. *Cum vos 4. de Offic. Iudic. Ordin.* In hoc igitur unico Decretalium Capite, *Tit. de Syndico* statuitur Monachos non per se, sed per Syndicum, seu Oeconomum a Monasterio designatum cum salario, debere causas in Iudicio tractare; recte Gregorius M. Monachis praescribit Syndici electionem, cum eorum vita, et professio, ut se abstineant a strepitu judiciorum exposcat, et cum quaelibet Communitas nequeat per se in judicio interesse. Qui nequeunt procuratores constitui, nec syndici esse possunt, cum inter se in eo tantum differant, quod procurator a privatis, Syndicus a Communitate eligatur. Differt etiam procurator, a *negotiorum gestore*; qui absentis, et ignorantis negotia gerit absque ullo mandato. Id a Praetore introductum est ex aequitate, ne absentium negotia deserantur; quod ad jus civile praecipue pertinet.

(9) Clem. ult. *de procur.* Cap. 1. et ult. *ne Sede vacant.*

(10) L. unic. §. *ubi autem C. de cad. toll.*

TITULUS VI.

De Foro Competenti. Tit. II. Lib. II. *de Libelli oblatione*. Tit. III. ibi. *et in ius vocando*.

Ne irrita iudicia fiant peragi omnino debent coram legitimo Iudice sive in competenti Foro; ab iurisdictione siquidem res hæc tota dependet.

Forum seu *Forus* (1) (de externo autem hic loquimur) est *agendarum litium locus*. *Competens* autem forum est idem ac forum proprium, scilicet ubi iudex suam exercere iurisdictionem potest, et in quo reus conveniendus est. Qua in re tria sedulo perpendenda sunt, primo scilicet ipsa causæ spiritualis vel profanæ natura; secundo status personarum, inter quas controversia est; tertio Rei conventi respectus ad Iudicem.

(1) *Forum* potius quam *Forus* elegantiori latino sermone dicitur; et hoc nomen verius deducitur a ferendo, ut ait Varro his verbis: *quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent, forum appellarunt; unde a ferendo veteres forum dixere*. Gentiles enim in eodem foro, ubi res venales exponebantur, jus dicere solebant. Et quamvis postea in basilicis illud reddere consueverint, quae ita aedificabantur, ut in superiore parte judicia, in inferiore negotia exercerentur teste Vitruvio, antiquum nomen tamen retinuit, et locus in quo jus reddebatur *forum* dictus fuit. Forum apud Romanos differebat a *subselliis* quia in Foro causae civiles agebantur, in subselliis vero exercebantur judicia publica. Tria fora judiciaria antiquitus Romae fuisse pariter compertum est; nempe *Forum latium*, sive Romanum antiquissimum, *Forum Caesaris dictatoris*, in quo loricatam sibi fieri statuam passus est; et *Forum Augusti*, quod cum aede Martis ultoris extruxit.

Nam quod ad postremum hoc caput in primis pertinet, Forum quis nanciscitur pluribus modis: 1. ratione *domicilii*, ac si quis opes pluribus in locis habeat; et ibi alternis temporibus, æquis temporum spatiis moretur; iisdem omnibus in locis domicilium habere censetur. 2. Ratione *rei quæsitæ,* unde reus conventus actione reali, vel mista, ibi respondere tenetur, ubi sita res est de qua agitur, sive immobilis sit, sive mobilis, quæ ibi sit permansura. 3. Ratione *contractus;* in cuius territorio enim contractus est initus, apud eum Iudicem contrahentes disceptare coguntur; ibi autem quis contraxisse dicitur, quo solutionem destinavit (2). 4. Ratione *delicti;* in cuius enim Iudicis loco quis delictum commisit, illius animadversioni subiicitur. 5. Ratione *consensus;* si quis enim in Iudicis non sui iurisdictionem consenserit (dum alias idem sit idoneus) tum ibi conventus non potest litigantem alio trahere (3), excepto Clerico, qui non potest in Iudicem laicum cum ordinis iniuria consentire; non enim in potestate singulorum est publico iuri derogare. 6. Ratione *continentiæ* causarum, cum scilicet causæ ita connexæ sunt, ut quasi eadem linea continuatæ, non possint, in plura tribunalia scindi, ne contrariis sententiis eadem secum res pugnare videa-

(2) Cap. 1. *de foro compet.* in 6.
(3) Cap. 1. ubi Gloss. *de off. deleg.*

tur (4). 7. Ratione *privilegii* Exempti omnes et Clerici, ut diximus, qui in forum sæculare propter dignitatem, et munera propria ordinis, ne volentes quidem, conveniri possunt, (5) nisi Clericus fuerit Vassallus, et de causa feudali agatur.

Hisce de competenti foro constitutis, quid sit in ius, seu in forum vocare videamus.

In ius vocare idem est, quod citare; *citatio* autem est *actus iudicialis, quo iussu Iudicis competentis, quis in iudicium sui iuris experiundi causa vocatur*, atque ab ea quodlibet iudicium est inchoandum; unde *inchoativam* vocant, ut a *decretoria* distinguatur, quæ ad singulos Iudicii actus pertinet. Est autem vel *realis*, qualis erat apud Veteres per manus iniectionem in eum, qui vocatus in Ius ire nollet; *verbalis*, vel quæ procedit ab auctoritate Iudicis, cuius iussu verbis, vel litteris quis in iudicium vocatur; sive per satellitem vocetur, aut nuntium, aut apparitorem; sive per præconem, tubam, aut campanam; sive propositis edictis, quæ dicitur vocatio, et citatio *edictalis*, eaque tum emittitur, cum quis nequit alio modo citari, sive ob loci periculum, aut distantiam, sive ob rei latitantis fugam (6). Hinc edictalis citatio, ut ad notitiam ci-

(4) C. penult. *de in integr. restit.*
(5) Cap. *Ex transmissa* cum seq. h. T.
(6) C. *Causam.* de dolo et contum. Clem. 1. *de iud.* C. *Statuimus, ut is, de offic. deleg. in VI.*

tati perveniat, proponi debet in locis vicinis, nam ex locis remotioribus non cogit (7).

Item citatio est vel *iuris*, cum ipsa lex terminum aut diem ad aliquid faciendum statuit, quo elapso, quis damnum incurrit (8); vel *hominis*, cum quis mandato Iudicis, ut diximus, in Ius vocatur.

Rursus citatio est vel simplex, vel peremptoria. *Simplex* est, quæ citato non ante contumaciam adscribit, quam post tres terminos certis dierum intervallis præfinitos, quæ intervalla Decretalium iure plerumque arbitrio Iudicis pro loci, ac rei qualitate restringuntur, aut laxantur (9). *Peremptoria* citatio est, quæ instar est omnium simul simplicium, quarum spatium restringit; easque ita perimit, ut si ad constitutum diem citatus non comparuerit, contumax habeatur (10).

Ut autem citatio recte procedat, hæc sunt observanda. 1. Fieri debet instante parte, exceptis publicis causis, ubi Iudex ex officio procedit (11). 2. Continere debet mandatum Iudicis competentis, sive ordinarii, sive delegati, ne alioquin sit inefficax (12), et delegatus inserere debet suæ delegationis literas, et tenorem (13). 3. Exprimendum est nomen, et

(7) Clem. unica, et C. *ubi periculum* §. *porro de elect. in 6.*
(8) Cap. 1 *de appell.* in 6.
(9) C. *consuluit de off. deleg.*, et C. 1. *de feriis.*
(10) C. 22. *Ad petitionem, de accus.*
(11) C. *qualiter* 34. *de accus.*
(12) L. *neminem* C. *de exhib. reis.*
(13) Cap. 31. *de offic. etc. deleg.*

cognomen, citati, ne in ancipiti persona quis decipiatur. 4. Indicanda saltem est lis, et causa, propter quam reus citatur, ut se possit ad iudicium comparare (14). 5. Notandus est iudicii locus, ut reus secum de fori competentia, et securitate accessus deliberare queat (15). 6. Inserendus est dies iudicio dictus, ne reus ad diem comparere cogatur, in quo venire ad Iudicem non tenetur.

Nam certa in citatione dicta dies si forte in feriarum tam divinarum, quam humanarum tempus inciderit, ea ipsa certe citatus impune poterit in forum non venire. *Feriæ* (16) enim tempora quæ-

(14) Clem. II., ubi Gloss. verb. *plene, Ut lite pend.* etc.

(15) C. *statutum* §. *in nullò de rescript.* in VI. C, pen. *de off. Vicarii* Clem. *pastoralis* §. *notorium de sent. et re iudic.*

(16) Feriae sunt dies cessationis ab opere. Aliquibus dictae videntur ab epulis ferendis, quod in iis epulationes fiebant; aliis vero a feriendis victimis, cum diebus, quibus veteres Romani Diis hostias immolabant, nefas esset aliquid in judicio tractare; unde *dies nefasti* vocabantur, quibus non licebat Praetori fari tria illa verba solemniter *Do*, *Dico*, *Abdico*, nempe jus dicere: hi vero dies in Calendario litera N notabantur; aliae antiquitus apud Romanos erant cum festo, ut *saturnalia*, quibus epulationes adiungebantur, aliae vero sine festo, ut *nundinae*. Nonnullae quoque erant *publicae*, aliae vero *privatae*. Feriae publicae universi populi communes erant, privatae vel propriae quibusdam familiis, aut privatis hominibus. In feriis Romanorum judicia quiescebant; hinc illud Martialis lib. X. Epigram 87. *Natalem colimus, tacete lites.* In Ecclesia autem dies festi a feriatis distinguuntur; cum festi dies solum aliquando diverso celebrentur officio; feriatis autem veluti Dominicis diebus, nec serviles labores, nec caetera negotia expedienda, nec in tribunalibus actus judiciales suscipiendi sunt Hae feriae autem in *ordinarias* seu legales, et solemnes dividuntur, et *extraordinarias*. Istae ob repentinam causam a Principe indicuntur, veluti causa victoriae ab hostibus reportatae etc. Ordinariae vero vel sunt *sacrae* in cultum Dei, et sanctorum institutae ab Ecclesia, vel *profanae*, in hominum utilitatem inductae, ut feriae *vindemiarum*, *nundinarum*, et *nuptiarum*, quibus postremis

dam sunt, quibus strepitus forensis conquiescit, id est Iurisdictionis *contentiosæ* actus in civilibus causis frustra exercentur: nisi forte litigantes iuri suo renuncient; quod tamen in feriis non licet, quæ Dei cultum spectant, cuiusmodi sunt Dominici, aliique solemniores in Ecclesia dies. Quare quod ad criminalem processum attinet, vix ulla quies iudicii est, et voluntariæ iurisdictionis actus feriato quoque die explicari placuit.

Ubi autem Nuncius citandi mandatum acceperit, debet citationem exequi, sive mandatum implere, ipso reo citato; ac si eius conveniendi facultas non fiat, citari prius ab eo debet procurator, vel relinqui in domo rei citationis exemplum, quam copiam vocant, aut in vicinia, ut citatio innotescat (17). Quod ubi fuerit executus, debet id in acta referre, sive relationem citationis executæ apud acta publica facere (18), cui relationi creditur propter ipsius fidem publice electam. Sed in alieno territorio citatur aliquis per litteras, quas vocant *subsidiarias*. Effectus autem citationis sunt. 1. Ut qui citatus non comparuerit, dolosus reputetur, et contumax, ideoque certis poenis in eum animadvertatur. 2. perpetuat Iudicis delegati iurisdictionem (19), unde, si

per statuta sacrorum canonum nuptiae solemniter celebrari prohibentur. Quia vero Clerici nullo die a divinis vacare debent, ideo omnes hebdomadae dies ab illis feriae dicuntur.

(17) C. *causam* 3. *de dolo et contum.*

(18) C. *cum dilecti de dolo, et contum.*

(19) C. 10. et ult. *de offic. deleg.*

post citationem quis alterius Iudicis forum sortiatur, in ea causa ius revocandi domum non habeat; sive non potest actorem trahere ad novum forum, cui subesse cœpit (20). 3. Interrumpit iure saltem Canonico præscriptionem (21), litisque pendentiam inducit, servatis, quæ in citata Clement. II. continentur.

Reo vocato, eidemque Iudicem adeunti significanda est causa, cur vocatus fuerit, quod fit oblato libello, ex quo petitionem actoris intelligat, et secum reputet cedendum ne sit actoris petitioni, an potius resistendum. Est enim *libellus compendiosa scriptura, ex qua colligitur actoris petitio contra reum*. Quamobrem XX. dies reo dantur ex iure communi ad deliberandum super libello, iudicio ne contendere velit, an cedere; quæ iudiciales *induciæ* vocantur (22).

Dividitur autem libellus in *accusatorium*, sive *querimonialem*, qui in causis criminalibus porrigitur; et in *conventionalem*, sive *postulatorium*, qui datur in causis civilibus. Uterque libellus debet esse clarus, et eadem fere debet continere: Conventionalis continebit 1. nomen actoris, 2. nomen rei, 3. nomen Iudicis, 4. rem petitam, 5. causam petendi.

(20) C. *gratum de offic. deleg.*
(21) L. ult. Cod. *de annal. excep.*
(22) Vid. Can. *Induciae* C. 3. Q. 3.

In accusatorio autem additur delicti locus, annus, mensis, dies, imo et hora.

Oblato libello, emendari atque declarari semper potest, salva causa debendi; mutari autem non potest, quod fit actionem immutando, post contestationem litis; quamquam iure nostro necesse non sinomen actionis exprimere, dummodo causa debendi clare dilucideque ex libello pateat.

In causis tamen summariis non est necessarai libelli solemnitas (23).

Cavendum autem est maxime, ne plus æquo petatur. Modi plus petendi sunt: 1. *plus causa;* dum petitur aliquid certum in specie, quod non debetur nisi in genere, vel alternative; 2. *plus re,* seu quantitate, dum petitur quantitas maior, cum debeatur minor; 3. *plus tempore*, cum debitum certo die, vel sub conditione petitur ante adventum diei, vel conditionis. Denique 4. *plus loco*, dum quis alibi ad solvendum conveniur, quam ubi constitutum fuit. Hinc Titulus Decretalium de *plus petitionibus*, qui Capite uno constat (24).

(23) Cap. *Super de verb. signif.*

(24) Nonnullae causae a poenis plus petentium excusant. Si enim plus petatur non dolo, sed probabili ignorantia, aut errore, vel actor poenitentia ductus ante, aut post litem contestatam a plus petitione recedit, dummodo non plus petierit dolose; vel si justa adsit petendi ante tempus causa, vel alio in loco; vel etiam si actor est minorennis, modo non plus petierit ex dolo, vel salutaris clausula fuit adiecta, *salvo jure superflui*, his omnibus in casibus non infligitur poena, quae ex jure canonico contra plus petentes haec est: ***re***, aut ***causa*** plus petens condemnatur debitori in expen-

TITULUS VII.

De Dolo, et contumacia Tit. XIV. Lib. 2.

Qui trina citatione, vel una peremptoria in ius vocatus sui copiam *dolo*, seu sine iusta causa et per fraudem non fecit *contumax* (1) dicitur. Sed et contumaciæ reus est, qui cum venit, iudici parere recusat, vel impedit, quominus ad reum citatio perveniat, vel sine iudicis venia susceptum iudicium deserit (2).

Quare tam Actor, quam Reus contumax esse potest, adeoque iuste puniri. *Actor* si constituto tempore, quo reus citatus est, in iudicium non venerit, in expensas condemnatur, neque alia ei citatio

sas; *loco* plus petens obligatur ad resarciendum quod interest; *tempore* plus petens tenetur inducias duplicare.

(1) Contumacia a *contemnendo* dicta est, eo quod in Iudicis contemptum tendit; est inobedientia commissa adversus judicem legitime vocantem, vel quid fieri prohibentem. Est duplex: *vera* seu evidens, et *ficta*, vel praesumpta. *Vera* est cum quis legitima citatione personaliter conventus, et certo habita citationis notitia, nullo legitimo impedimento detentus, non comparet, vel etiam protestatur se nolle comparere, vel numquam fore compariturum. *Ficta* autem vel praesumpta dicitur cum quis non fuit personaliter citatus. quia non fuit inventus, sed per edictum affixum ad domum eius, vel valvas Ecclesiae, aut Curiae, ita ut dubitari possit, an habuerit notitiam citationis nec ne, et tamen non compareat, nec mittit procuratorem in termino constituto ad comparendum; tunc enim praesumitur *contumax*, nisi moram purget, et iustam causam alleget cur non comparuerit. Dolus autem hoc in loco dicitur prout miscetur contumaciae in judiciis; ita ut in dolo esse videatur qui in judicio renuit ea facere, quae jus, aut judex fieri praecipit.

(2) Cap. 3. *de Dol. et contumac.*

permittitur, nisi de se iudici sistendo cautionem præstet (3). Quin etiam non veniente in iudicium actore, reus illud a iudice petere, et rogare potest, ut sibi detur probationum afferendarum locus, ac sententia proferatur. Verum contestata lite, si actor contumax evaserit, eius procurator, si quem reliquerit, vocandus est, aut si nullum reliquerit, vel relictus in ius non venerit, ipse absens per edictum eius domui affixum vocatur, et inde contra eum fertur sententia, cum res satis est comperta, aut saltem, actore in expensas condemnato, ab observatione iudicii reus absolvitur.

Quod si absit per contumaciam reus, videndum est, num id ante, an post litem contestatam faciat? Lite nondum contestata, in actione reali actor mittitur in possessionem rerum, de quibus controversia est; in actione personali mittitur pro modo, et ratione debiti in possessionem bonorum mobilium ipsius rei, vel immobilium, cum nulla mobilia sunt. Quæ possessio datur ex *primo*, et *secundo decreto*. *Primi decreti* possessio tantum custodia est (4), quoniam ea conceditur rei servandæ, et custodiendæ causa, atque actor non dominus, sed tantum custos efficitur. Quare et actor, et reus possident: reus quidem ut fundum colat, fructusque

(3) Cap. 1. *de Dol. et contumac.* in VI.
(4) Ita Innocentius III. in Cap. ult. §. *in aliis vero casibus, Ut lit. non contest.*

colligat; actor autem ut fundum, et fructus sive fructuum pretium observet, atque custodiat (5).

Hanc vero possessionem actor adipisci censetur, quantumvis eam potentia, doloque adversarii revera non acquisiverit, aut acquisitam amiserit; haud tamen si actor ipse, nulla iusta causa impeditus, eam intra annum obtinere neglexit (6). Intra anni spatium si reus in iudicium non veniat, solvatque expensas, ac præterea cautionem non præstet de se iudici sistendo, emittitur *secundum decretum*, cuius ea vis est, ut reus contumax de bonorum possessione dimoveatur, fiatque actor unus, et verus eorum possessor, fructus colligat, suosque faciat (7).

Verum si post contestatam litem reus contumax evadat, causaque ex actis satis explorata videatur, iudex sententia sua litem definiet; si non satis de causa liqueat, actor in bonorum contumacis rei possessionem mittitur, fitque ipse statim verus possessor, ac reo sola dominii lis integra relinquitur (8). Sed in causis beneficiariis propter rei contumaciam actor in possessionem non mittitur, ne vitiosus in beneficia ingressus detur (9).

(5) Cap. 4. *de Eo qui mittit. in possess.*
(6) Cap. 2. *de Eo qui mittit. in possess.*
(7) Vid. in hunc locum Not. Io. Devoti.
(8) Cap. 5. §. *In aliis Ut lit. non contest.* C. 4. *de Dol. et contumac.*
(9) Cap. unic. *de Eo qui mittit. in possess.* in VI.

Sunt et aliæ poenæ adversus contumaces constitutæ, quarum unam, aut alteram, uti rerum ratio postulare videtur, infligit iudex suo arbitratu. Interdum enim pecuniaria multa, aut censuris, cæterisve poenis contumaces coercentur (10). Verum censuris caute, atque sobrie iudices uti debent, neque sunt adhibendæ, nisi cum contumaces re, aut persona coerceri non possunt (11).

Sæpe etiam actor non mittitur in possessionem rei servandæ causa, neque ea penes reum contumacem relinquitur, sed penes tertium deponitur, et committitur alicui, qui finita lite rem, et fructus victori restituat. Quæ dicitur *sequestratio* (12) rei litigiosæ, quam iudex ex iusta causa decernit, puta si metus sit, ne res, vel fructus dilapidentur. Si

(10) Cap. 3. *Ut lit. non contest.*
(11) Conc. Trident. *Sess.* 25. *c.* 3. *de Ref.*
(12) ***Sequestrum*** si lato accipiatur est cura seu curatela, et *sequester* idem est ac curator. Hic vero sequestrum est rei litigiosae, vel fructuum eius apud tertium depositio. Haec sequestratio vel est *voluntaria* de consensu partium, vel *necessaria*, ex mandato, et auctoritate Iudicis. Differt antem a *deposito* specifice sumpto, quia sequestratio fit rei litigiosae, et a pluribus in solidum; e contra depositum fieri potest rei liquidae, et ab uno. Sequestratio voluntaria licita est, cum volentibus non fiat injuria; at necessaria, seu judicialis regulariter est prohibita; *L. un. Cod. de prohibit. sequest. pecun.* nam lite pendente possessor non est privandus suae possessionis commodo. Nihilominus ex causa justa generaliter potest judex ad sequestrationem procedere. *Sequester* autem sic dictus est a *sequendo*, sive quod ipse litigatores sequatur, sive litigantes illum. Est enim medius inter duos altercantes, apud quem aliquid reponitur. Liberarum etiam personarum sequestratio admittitur, veluti si de foemina agatur, cuis insignis a marito infertur saevitia etc. Plura vide apud Gonzalez in *Cap. Ab eo, de sequestr. possess. etc.* et Gloss. in Cap. *Dilectus eod. tit. verb. Sequestrari*, ubi diligenter sequestrationis casus exponuntur.

maritus ad inopiam vergat, dos sequestro datur; similiter si persona, a qua res mobilis petitur, suspecta sit; si de beneficio ecclesiastico agatur contra possessorem non triennalem: et contra ipsum in possessorio, vel petitorio sit lata sententia, *apud Sedem Apostolicam dumtaxat* sequestrum constituitur (13). Sed generatim sequestrum revocatur, cum reus in iudicium veniens expensas restituit et cautionem præstat, per quam omne, quod timetur, periculum removeatur.

TITULUS VIII.

De Exceptionibus. Tit. XXV. Lib. II.

Pertractus in forum reus, armis et ipse munitur (1), quibus adversarium suum, nempe actorem

(13) Clem. 1. *de Sequestr. possess. et fruct.* cum Glossa verb. *dumtaxat*, et Bened. XIV. de *Syn. Dioec.*

(1) Quicumque reus etiam excommunicatus, vel inhabilis ad agendum, opponere potest exceptionem actori, eiusque haeredibus; cuicumque enim ex naturali jure debet defensio concedi; exceptio autem est quaedam defensionis species, et quoad substantiam juris naturalis est; et quamvis reus fiat actor excipiendo, nihilominus ab exceptione non excluditur, eoquod non fit actor simpliciter aliquid petendo, sed tantum per accidens ad suam probandam exceptionem. Omnis quidem exceptio, ut recte animadvertit Donellus *Lib.* 22 *cap.* 1. est defensio, sed non aeque omnis defensio est exceptio, nam si alicui lege aut statuto prohibeatur, quin excipiat contra instrumentum, alias potest proponere defensiones; si vero illi interdicatur proponere defensiones, interdicitur etiam excipere. Defensio igitur genus est, quo remoto, removentur etiam species sub eo contentae; remota vero specie, non removetur genus.

pellat, et excludat. Eæ sunt exceptiones. Definitur autem *exceptio*, = *actionis* (2) *vel intentionise xclusio* =. Iterata vero exceptio, excludens responsionem rei dicitur *replicatio:* quæ iterum per rei replicationem eliditur, et sic deinceps. Sed reo ultimam allegationem competere, rationi, et usui Fori congruum esse monent Interpretes.

Dividuntur autem exceptiones in dilatorias, et peremptorias. *Dilatoriæ* sunt, quæ principalem caussam non perimunt, sed differunt ad tempus, quæque, ut Caius inquit, evitari possunt. Ut si mecum conveneris, ne intra quinquennium peteres, si intra quinquennium petieris, ego conventione illa per totum quinquennium tibi silentium imponam; te tamen haudquaquam perpetuo evitabo, nam elapso quinquennio convenire me poteris.

Harum vero exceptionum, quædam caussam ipsam respiciunt, et actorem, ut in superiori exemplo, quædam vero personam Iudicis, quia videlicet sit incompetens, hoc est iurisdictionem in reum non habeat, cum sit alterius fori, aut quod sit suspectus, et cum adversario aut utilitate, aut affinitate, aut gratia coniungatur, ob easque caussas i-

(2) Exceptio proprie dicta ea est, quae *juris exceptio* vocatur, nempe exclusio actionis, quae juste competit. Si autem nulla actio de jure actori competat, contra illum de facto agentem datur exceptio impropria, seu *facti*, aut *intentionis*, qua eliditur actio proposita in re non existens; ut si agas ex mutuo, quod non dedisti. Tales sunt exceptiones contractus non celebrati, non legati, non donati etc.

psius iussa declinamus, ideoque has exceptiones *declinatorias* appellamus.

Respiciunt vero actorem exceptiones illæ, quæ agenti alienam caussam opponuntur de iudicato solvendo, ut caveatur, vel ut reus ab actore, a quo spoliatus fuit, restituatur ante iudicii progressum. Tandem respiciunt caussam exceptiones illæ, quæ opponuntur contra libellum, quod sit vel obscurus, vel ineptus; vel quod dies cesserit solutionis, vel si opponitur pendentia litis. Cum commune sit omnibus dilatoriis exceptionibus, ut ante litem contestatam opponantur (3); hoc tamen est inter declinatorias, et alias dilatorias discrimen, quod cum declinatoriæ personam Iudicis respiciant, opponendæ sunt ante omnes alias exceptiones; ne, si quis, omissis iis, ad alios pergat actus, videatur in iudicem consensisse.

Sed et post litem contestatam aliquando dilatoriæ utiliter opponuntur, si scilicet vel exceptiones ipsæ, vel earum notitia post coeptam litem suboriatur, vel sint eiusmodi, quæ nullum reddant Iudicium *ex gr.* falsi, vel legitime revocati procuratoris exceptio (4).

Excommunicationis vero maioris exceptio, per quam actor, utpote a commercio fidelium exclusus, ab accessu iudicii repellitur, id habet præcipuum,

(3) Cap. *inter Monasterium de sent., et reiud.*
(4) Cap. 4. *de Procurat.*

ut quamvis dilatoria sit, possit tamen, etiam post litem contestatam opponi, ne reus cum excommunicato communicare compellatur. Verum si progressum fuerit ad appellationem, non potest amplius appellatio per exceptionem excommunicationis retardari.

Quin immo exceptio excommunicationis dolo dilata, damnatione in expensas punitur, eaque in modum dilatoriæ proposita intra octo dies probanda est; aliter Iudex ad ulteriora procedet. Cum autem excommunicatio in modum peremptoriæ exceptionis opponitur, longius tempus ab Iudice ad eam probandam definiri poterit, quod sapienter cavit Innocentius IV. iu Lugdunensi Concilio I. (5). Reus autem excommunicatus, quamvis reconvenire nequeat, ut alibi adnotavimus, a legitimis tamen defensionibus opponendis nequaquam excludetur (6).

Exceptiones *peremptoriæ* sunt, quarum vis est perennis, quæque perimunt ius actoris, ita ut perpetuo excludatur (7): quales sunt exceptio doli mali, metus, pacti conventi, solutionis, iurisiurandi, transactionis, præscriptionis, rei iudicatæ, et exceptiones descendentes ex S. C. Macedoniano, aut

(5) Cap. 1. *hoc. Tit. in VI.*
(6) Cap. *cum inter de excep.*
(7) Cap. 1. *de lit. contest. in VI.*

Velleiano, aliisque legibus (8). Quarum exceptionum id est commune, ut post litem contestatam ante sententiam proponi debeant, exceptis aliquibus, quæ appellantur *litis finitæ*, hoc est, quæ vetant, ne frustra novum iudicium resumatur, cum litem iam compositam atque peremptam ostendant; ideoque licet eas opponere omni tempore, atque in omnibus iudicii partibus, quales sunt exceptiones transactionis, iurisiurandi, et rei iudicatæ (9), si quæstio iterum inter eosdem de eadem re, ex eadem causa moveatur, aliæque.

TITULUS IX.

De Restitutione Spoliatorum Tit. 13. Lib. 2.

Inter dilatorias exceptiones, de quibus superiore Titulo diximus, eminet ea, quæ dicitur *Restitutio Spoliatorum*, respondetque aliquatenus Interdicto Prætorio *unde vi* (1), sed eo latius patet, ut liquet

(8) Exceptio quae descendit ex aliqua juris Civilis specie, ut Senatus C. Macedoniani, aut Velleiani, non numeratae pecuniae etc. *civilis* appellatur. Quae vero originem habet ex edictis praetorum ob naturalem aequitatem, ut doli, metus, pacti conventi de non petendo, dicitur *praetoria*.

(9) Cap eod.

(1) Interdictum *unde vi* datur jure civili adversus eum, qui vi adhibita possessorem dejecit, non adversus eum, ad quem res ab alio violenter ablata, pervenit. Sed Innocentius III. *Cap. Saepe* 18. *de restit. spol.* interdictum *unde vi* concedit etiam adversus eum, ad quem vitii non ignarum, res ab alio ablata per vim, delata est. Iure enim Canonico malae fidei emptor in vitium vendi-

ex Can. *Redintegranda* 3. C. III. Q. I., et ex celebri Cap. *Sæpe* 18. h. t. Innocentii III. in Later. IV. Concilio. Nam *interdictum unde vi* in res tantum immobiles, e vi de possessione deiicientem complectitur: contra *spoliatorum restitutio* remedium est *ab iure Canonico proditum, quo spoliatus quilibet, idest, iniuria e possessione, vel quasi rei cuiuslibet privatus in possessionem pristinam restituitur*.

Unde consequitur 1. *spolium* esse factum iniquum, per quod aliquis possessione vel quasi, rei cuiuslibet privatur, adeoque in mobilibus etiam rebus, iuribusque consistere. 2. Restitutioni huic esse locum, seu vi, seu dolo, seu mandato, aut ratihabitione, seu contractu per se nullo, quis rei possessione, vel quasi privetur; hæc enim omnia iniquitatem, et iniuriam continent (2). 3. Ad eam restitutionem obtinendam requiri tantum, ut quis probet quod habuerit postremo tempore rei possessionem, vel quasi, tum quod iniuria ei ablata

toris succedit. Ex dispositione igitur citati Capitis 18. res spoliata ad quemcumque malae fidei possessorem pervenerit, restitui debet spoliato; ne foveatur mala fides *eo quod non multum intersit, quoad periculum animae, iniuste detinere, ac invadere alienum*.

(2) Circa bona Ecclesiarum mobilia ab haereticis, et Infidelibus occupata, et a Christifidelibus empta, Benedictus XIV. in Epistola ad R. P. Nicolaum Lercari Secretarium Congregationis de propaganda fide, quae incipit „ *Urbem Antibarum* „ 19. *Martii* 1752. declarat haec tuta posse retineri conscientia, dummodo emerint animo ea restituendi, quotiescumque impensae pecuniae solutio a domino oblata fuerit. Contrarium tamen tenendum esse demon-

sit (3); his namque probatis de *spolio* satis constat, quamvis spoliator sibi dominium rei asserat, aut crimen obiiciat spoliato, vel arguat illum vitio possedisse. Adeo enim invisa est sacris Canonibus vis, et iniuria, quæ in turbanda possessione intervenit, ut ante omnia sit *spoliatus* in possessionem restituendus. 4. Demum inde concluditur spoliatoris in vitium eum succedere, qui sciens prudens a spoliatore rem oblatam acceperit: in quo item iuri civili per laudatum Caput *Sæpe* derogatur. Sedulo autem distinguendum est, utrum quis spoliationis beneficio per *Exceptionis*, an per *Actionis* modum utatur. Nam si in iudicium vocatus de spolio excipiet, hæc exceptio ei quidem proderit in civilibus causis, si Actor ipse spoliator fuerit. At de tertii spolio excipere non potest contra Actorem Reus, nisi in criminalibus, dummodo demonstret, se maiori saltem bonorum parte *per vim* fuisse spoliatum (4). Exceptio autem ipsa intra dies quindecim probanda est, ne per calumniam iudicia retardentur, adeo ut in ea probatione deficiens, et ad reficiendas interim ab Actore factas expensas, et ad pœnam arbitrio Iudicis condemnetur.

Spolii actio eo pertinet, ut spoliatus ante omnia

strat §. 22. de bonis immobilibus, quae restituenda sunt cum omnibus fructibus absque ulla pretii solutione a spoliatis facienda.

(3) Cap. 10 *de off. Iud. deleg.* Cap. 17. *h. t.*

(4) Cap. 1. h. T. in VI.

a spoliatore, aut doloso rei detentore possessionem pristinam, omni fere obiectione remota, recuperet, indemnisque omnino reddatur; imo fructus etiam percipiendi in hanc restitutionem venient, si vi, dolove malo spolium fuerit perpetratum: quorum probatio, et æstimatio, ni possit aliter, adprobante Iudice, spoliati iureiurando peragi poterit (5).

Consulto innuimus omnem *fere* exceptionem seu obiectionem excludi, cum de restitutione spoliatorum agitur, sive per exceptionis, sive per actionis modum proponatur; nam 1., ipsius rei natura postulat, ut qui obiicit quærentem de spolio vel non possedisse, vel incapacem de iure possessionis controversæ fuisse audiatur. 2 Restitutio denegatur si ex consensu utrumque iudicium, possessorium scilicet, et petitorium fuerit cumulatum. 3. Ut paucis multa complectamur non est restitutioni locus, ubi ex ea irreparabile damnum, aut periculum animæ, aut grave, et evidens scandalum imminet (6).

(5) Cap. 7. *de his, quae vi* etc.

(6) Cap. 13. *hoc. Tit.* Hic breviter adnotandum cum Cl. *Maschat. Inst. Can. hoc tit.* etiam in iis quae ad matrimonium pertinent, locum habere aliquando restitutionem. Etenim si mulier propria auctoritate recessit, aut a maritio expulsa est, si vir facti poenitet, illi restituenda est. Si post matrimonium ratum, eo tempore quo potest de religioso statu deliberare, mulier discessit restituenda est viro quoad habitationem, non vero quoad thorum, nisi matrimonium antea fuisset consummatum; quod si mulier professa sit religionem, non restituitur, quia post matrimonium ratum id jure potest. Si etiam ob justam causam discesserit mulier, causa durante, non restituitur; sed causa cessante restitutio

TITULUS X.

De litis Contestatione. Tit. 5. Lib. 2. *ac Pendentia.*

Tres iudicii sunt partes, quarum prima progreditur a citatione usque ad litis contestationem. Secunda a litis contestatione usque ad conclusionem in causa, sive ad sententiam definitivam. Tertia est a sententia definitiva usque ad illius executionem. Pars, quæ a citatione ad contestationem litis extenditur, non est iudicii substantialis, sed præparatoria, talesque sunt omnes actus, qui citationi, et litis contestationi interponuntur; unde arx et fundamentum ipsius iudicii est litis contestatio; quæ vox deducta est a testibus, qui aderant, dum Prætor olim per narrationem causa constituta utriusque partis, dabat iudicem. Sed Iure Canonico nec partium ipsarum, nec testium præsentia in litis contestatione requiritur. Nam litis contestatio tota

efficitur. Demum si mulier profuga impedimentum dirimens opponat, et maritus agat *petitorio* de matrimonii valore, non fit restitutio, cum vir eam non petat, sed prius de peremptoria exceptione impedimenti dirimentis cognoscitur. Si autem vir agat *possessorio*, distinguendum est: aut impedimentum est *notorium*, vel adeo certum, ut mulier statim probare possit, non est restituenda, sed cognoscendum de impedimento: aut est *occultum*, et mulier promptas non habet probationes, tunc plena restitutio facienda quoad habitationem, et thorum, cum praesumptio sit contra mulierem. Ved. Cap. *Literas* 13. et *Ex parte* 14. *hoc tit.*

constat in iure *proposita petitione Actoris et consequenti responsione Rei, cui cohæreat contendendi animus*: qui quidem animus adesse præsumitur, nisi contraria probatione elidatur (1).

Generalis igitur litis contestatio dicetur si cuncta ab Actore petita neget Reus, sin quædam tantum *specialis*. Ita pariter ea *solemnis* vocabitur, si fiat formulis iuxta cuiusque curiæ stylum adhibendis. *Simplex* vero, si verbis quibuslibet, factisve contradicendi animum declarantibus.

In quocumque plenario iudicio litis contestatio necessario requiritur, ne aliter *processus sit irritus*; in summario non item.

Litis autem contestatio rite peracta præcipuos hos parit effectus.

1. Ut Pragmatici aiunt, facit, ut iudicis tam Ordinarii, quam Delegati (dummodo non sit inhabilis) iurisdictio *radicetur;* itemque perpetuat in ea causa Procuratoris officium.

2. Inducit malam fidem in possessore, ideoque interrumpit inchoatam a Reo præscriptionem.

3. Per eam novatio quædam fit, et quasi contractus inter litigantes, unde neuter altero invito iudicium deserere potest, tum eorum quilibet dilatoriis exceptionibus renunciare censetur, tum vero actio-

(1) Cap Unic. *h. Tit.*

nes omnes tempore, et morte periturae ad quadraginta annos perpetuantur.

4. *Litis pendentia* per contestationem inducitur, et res controversa omnino litigiosa fit, unde consequitur Rubrica 16. Lib. 2. « *ut lite pendente nihil innovetur* » Qua cautum est ut si absque auctoritate iudicis, vel ab eo sine iusta causa innovatum quippiam fuerit *attentatum* dicatur, et purgari, et revocari prorsus debeat (2).

5. Denique ex ipsa litis contestationis natura descendit altera Decretalium Rubrica 6. eod. « *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam* »; nisi aliter exigat natura causæ, vel suadeat amittendæ probationis periculum, tunc enim locus est examini testium ad perpetuam rei memoriam (3); hinc a generali Rubricæ regula excipiuntur inter cæteras electionum causæ, ne quid ex mora damni patiatur Ecclesia,

(2) Ex eo quod lite pendente nil innovari possit, per quod status causae aliquo modo immutetur in praejudicium partium litigantium, inferendum est primo: privilegium impetratum a Principe lite pendente, et nulla facta pendentiae litis mentione subreptitium esse, nec juxta illud causam decidendam; quia jus de novo emergens futuris, non vero praeteritis dat formam negotiis; secundo: pendente lite super matrimonio, de cuius divortio agatur non esse ullum ex coniugibus privandum a Iudice possessione usus Conjugii, donec de crimine ob quod petitur divortium plene constiterit; tertio litigiosae rei alienationem lite pendente fieri non posse. Quod si res litigiosa alienata fuerit, et recuperari non possit, alia aequivalens ab alienante in male alienatae locum substituenda est, quae pariter alienari nequit. Vid. Gonzalez *in Cap. Laudabilem 2. Ut Lit. penden. etc.*

(3) Cap 5. *ut lite non contest.* etc.

itemque matrimoniales, ob incontinentiæ periculum, præsertim si de impedimento iuris Divini quæstio sit (4).

Ut autem testimonia eorum valeant, qui ante litis contestationem recipiuntur, Actor intra annum, ex quo adversarius conveniri potest, agere debet, aut saltem Reo testes denunciare (5); super denunciatione autem ipsa confici debet publicum instrumentum.

TITULUS XI.

De Iuramento calumniæ. Tit. 7. Lib. 2.

Lite contestata, ut a calumnia, atque insidiis tuta sint omnia, visum est religione adstringere litigantium fidem, ut omnes divinæ ultionis metu ab iniusta, et fraudulenta vexatione deterreantur. Ea de causa introductum est antiquitus iuramentum *calumniæ* ab obsoleto verbo *calvere* dictum, quod deceptionem omnem significat. Hoc in iudicio præstant, tum actor, tum reus, tum etiam eorum procuratores cum speciali mandato venientes, generatim omnes litigantes, sive suo, sive alieno nomine iudicium exerceant.

(4) Cap. 20. *de Iureiurando*.
(5) Cap. 41. *de Testib.* etc.

Actor promittit se non animo calumniandi litem fovere, sed quia censet bonam causam agere, et reus vicissim jurat, se bona fide excipere, et contradicere. Rursus promittunt se nullas probationes adducturos fore præter eas, quas duxerint necessarias, nec ullo modo per se, vel per alios promissuros quid Iudici ad victoriam causæ obtinendam; insuper ea de quibus fuerint in judicio interrogati nunquam celaturos, nec litem producturos cavillosis dilationibus, et iniuste petitis (1).

Datur hoc iusiurandum in omnibus causis (2), etiam spiritualibus, tam in prima, quam in secunda instantia. Si non petatur impune omittitur, neque propterea iudicium irritum est; verum pacto convento remitti non potest. At petitum omnino præstandum est, et si illud litigantes subire recu-

(1) Haec omnia, quadam veluti formula, his versibus concinnavit Iustus Vultejus:

„ Iuro meam litem mihi fultam jure videri,
„ Nec celaturum, si qua rogatus ero:
„ Nec promissurum, nec causae falsa levandae
„ Dicere, nec litem ducere velle meam.

(2) Communiter in causis criminalibus, *saltem majoribus criminaliter intentatis*, juramentum calumniae non praestatur; et in his accusatori, non reo deferendum esse autumant plures Canonistae; tum quia manifestum est periurii periculum, tum quia juramentum calumniae fit super bona fide: in criminalibus autem fieri deberet super scientia et veritate delicti. Sufficit itaque si post semiplenam probationem, et alia indicia deferatur reo juramentum veritatis. In Concilio Romano a Benedicto XIII. celebrato an. 1725. *tit.* 13. c. 2. praecipitur ne in posterum sub nullitatis poena omnium actorum exigatur juramentum a reis, cum judicialiter uti principales examinantur.

sent, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur.

Clerici olim laicorum more in iudicio iurare non poterant, sed nunc et ipsi iurant de calumnia, modo cum venia Summi Pontificis, si Episcopi sint; clerici inferiores autem cum venia Episcopi sui iusiurandum emittunt. Hoc inter laicos, et clericos discrimen est, quod illi tactis, hi vero propositis Evangeliis iurant.

Differt a iuramento calumniæ, quod generale est, et omnia complectitur, quæ in iudicio aguntur, iuramentum speciale, quod datur quoties opus est, in singulis actibus iudiciariis, etiamsi generale sacramentum calumniæ emissum fuerit, eoque iurans affirmat, se non ex dolo, aut calumnia certum illum actum expedire. Iuramentum hoc a Bonifacio VIII., *malitiæ* iuramentum dicitur, ut a generali iuramento *calumniæ* distinguatur.

TITULUS XII.

De Probationibus. Tit. 19. Lib. 2.

Lite contestata, præstitoque, si opus fuerit, iuramento calumniæ cum testes, tum cuiusvis generis probationes recipi iure possunt, nisi Reus cedere Actori malit, vel uterque litigantium mutuo consensu liti renunciet. Priori tamen casu sententiæ

Iudicis post auditam Rei confessionem non denegatur locus.

Probatio est *rei*, *seu facti in controversiam cadentis legitima iudici ab eo*, *qui asserit proposita demonstratio*. *Allegationes* igitur iuris, ut vocantur ea, quæ Iudici voce, vel scriptis de iure proponuntur, a probationibus differunt (1).

Omnis probatio dividitur in *plenam*, et *minus plenam,* quam vulgo *simiplenam* vocant. *Plena* est quæ plenam fidem facit Iudici de re, super qua agitur, quale est testimonium duorum hominum, omni exceptione maiorum. Item instrumenta publica, quorum fides non potest in dubium revocari. Unde incorruptæ fidei probationes appellantur: et ispa confessio partis in iure, sive ad iudicis tri-

(1) Probatio quidem est de substantia Iudicii, ut partes ad probanda allegata recipiantur; et requiritur non ad instruendum adversarium, sed ipsum Iudicem: Cap. *Ex Literis* 3. *hoc tit.* ubi: ,, *ad cognitionem Iudicis instruendum* ., Iudex enim secundum allegata et probata, non secundum privatam cognitionem debet judicare; quod erudite probat Cl. Migliorucci in suis *instit. Iur. Can. Diss.* 1. *hoc tit.* qui *num.* 8, refert *Azorium*, *Hostiensem*, et *Accursium* unanimiter respondisse Bononiae Iudici, qui reum homicidii e fenestra adnotavit, *privatae cognitionis habendam non esse rationem ad puniendum facinorosum*, ob textum in L. *Illicitas* §. *veritas de Offic. Praest.*, *et Can. si peccaverit Caus.* 2. *qu.* 1. Minime autem probari debent ea, quae juris sunt; quaeque ut Iudex habeat explorata quidem oportet, sed tantum quod factum respicit probatur; postea vero partes admittendae sunt ad *allegandum*, bene et sufficienter per se probatum esse in processu; ut patet ex illis verbis Innocentii III. in Cap. *Bonae memoriae*, *de Postul. Prael.* ibi: *nos igitur auditis*, *quae de facto*, *et de jure fuerant allegata*, *plenius etiam pro utralibet partium curavimus allegare*. ubi Glossa: *Sic ergo patet*, *quod Iudex potest supplere*, *quae advocatus omisit*, *sicut Papa hic supplet*; *et de jure debet supplere*, *et non de facto*.

bunal: et iusiurandum ab uno litigatore alteri delatum.

Minus plena probatio est, quæ fidem aliquam iudici facit, at non plenam, ac potius opinionem inicit, ut est dictum unius testis, et fama, et privatæ scripturæ.

Probandi autem onus incumbit illi, qui asserit, unde regulariter incumbit actori (2), non reo, qui negando ita excludit actoris intentionem, ut illi probandi necessitatem imponat; *quia negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio* (3).

Reus autem onus probationis tum subit, cum negando, aliquid asserit: ac sicuti actor probare debet intentionem suam, ita et reus suam exceptionem: unde si conventus reus ex causa mutui, neget se pecuniam accepisse, cogetur actor ostendere pecuniam fuisse a se datam. At si reus ne-

(2) Cum ad actorem pertineat probare, evidens est reum non teneri edere actori instrumenta, rationes, et literaria documenta quibus a reo impetatur. Haec tamen vera non sunt in Argentariis, qui per *text. in L.* 10. *ff. de edendo* possunt cogi libros suos, et rationes edere ad fundandam intentionem actoris. Argentarii autem *Nummularii*, et *Trapezitae* etiam vocabantur, causae publici officii quod exercebant apud Romanos; hi enim tum Romae, tum in Provinciis mensas suas collocabant in foro, apud quas deponebatur pecunia vel causa tutiore in loco eam asservandi, (ab ipsis enim in Aede Castoris recondebatur iuxta illud Iuvenalis „ *et ad vigilem ponendi Castora nummmi* „ ; vel causa pecuniam sub fide publica permutandi, vel collocandi foenori. Hinc etiam mercatores quando ab actore in judicio impetuntur rationum suarum libros tenentur edere; quod debet fieri etiam a tutoribus, curatoribus, omnibusque aliis, qui aliena negotia administrant.

(3) Cap. 23. §. *porro excessus de elect.*

get se pecuniam debere, quod sibi credita fuerit, quando erat pupillus, tum reus demonstrare tenetur, se acceptæ pecuniæ tempore fuisse pupillaris ætatis. Secundo tenetur probare reus, si actoris intentio præsumptione fulciatur; cogitur enim tum reus præsumptionem illam oppositis probationibus excludere. Tertio probare debet reus negationem; si sponte onus probandæ illius in se sumpserit.

Placuit etiam probationem in naturalem, et artificialem distinguere. *Naturalis* dicitur, quæ facti veritatem sensibus, quos natura dedit hominum generi subiicit; *artificialem* vocant, quæ in artificio quodam rationis consistit: unde facti veritas mente colligitur, et comprehenditur; et ad hanc præsumptiones pertinent, de quibus inferius.

De probationibus scitum est illud: *actore non probante, reus absolvitur*. Plena scilicet ad rei condemnationem, ac perfecta probatio requiritur, aut minus plena, cui supplementum a Iure probatum accedat, ut perficiatur; aliter *Iura promptiora sunt ad absolvendum, quam ad condemnandum*, si excipias causas, quæ *favorabiles* appellantur. Cæterum in criminalibus causis, ut ordinaria poena decernatur in reum, opus est probationibus *luce meridiana clarioribus* (4).

(4) Cap. 11. *de Praesumption.*

TITULUS XIII.

De Confessis. Tit. 18. Lib. 2. *et Positionibus*.

Inter plenas probationes principem sibi locum vindicat confessio, quæ est *de veritate facti proprii legitima declaratio;* cum nulla sit probatio maior ea, quæ a proprii oris confessione procedit (1). Fit autem confessio vel in iudicio, vel extra iudicium: idcirco dividitur in iudicialem, et extraiudicialem. *Iudicialis* confessio summam vim habet, ita ut qui eam emisit sua se sententia quodammodo damnasse videatur. Sed ut ea vires habeat, fieri debet a maiore 25 annis coram competente iudice, ex certa scientia, sponte, atque libere, procul ab errore facti, quo probato nulla confessio est; denique non vaga, et incerta esse debet.

Extraiudicialis confessionis non tanta vis est, neque ex ea confessus tamquam iudicatus habetur; verum et ea plenam probationem constituit, si coram adversario, et idoneis, rogatisque testibus emissa sit.

Cum tanta sit confessionis vis ad eam eliciendam

(1) Nihil omnino probat in iudicio quod a sacramentali confessione proficiscitur; nam ista penitus extra humanum commercium est; nullusque ejus usus in foro exteriori esse potest.

a Iure Canonico (2) inductæ sunt *positiones*, ubique deinceps receptæ, veterum in iure faciendarum interrogationum ad instar, licet illæ alio, nempe ad *actionem* ipsam fundandam spectarent.

Sunt enim positiones *articuli* post litem contestatam, non totam causam, sed facta quædam respicientes, quæ ad causam pertineant; ut iis confessione adversarii constitutis, aut negatis pateat alteri, quid sibi deinceps probandum sit, quidve in probatis habendum (3); quæ quamvis fundandæ actioni, iudicioque instituendo non valeant, tamen adiuvant causam assertione factorum. Itaque conceptis brevibus articulis, sive ab actore e suo libello, sive a reo e sua exceptione deductis responsuro, defertur *malitiæ iuramentum*, quod forensi lingua *iuramentum dandorum* appellatur : posteaque ab interrogato respondetur per verbum *credit*, vel *non credit*, ac si quis fateatur, urgebitur sua confessione tamquam re iam probata; sin inficietur, confutandus erit testibus, sin respondere detrectet, in eum utpote contumacem, tamquam in confitentem, vel negantem, prout adversario erit utilius, proceditur (4); nisi interrogationes perplexæ sint, aut dubiæ, captiosæ, vel obscuræ, vel superfluæ ad causam non pertinentes. Quamobrem ut quis respondere tenea-

(2) Cap. 1. *de Lit. Contest.* et Cap. 54. *de Elect. etc.*
(3) Cap. 1., et 2. h. T. in 6.
(4) Cap. 2. *de confess.* in 6.

tur in positionibus, omnia vitia sunt vitanda (5). Ubi res confessione non clarescit, vestiganda est aliis argumentis, atque inquirenda vel testibus, vel scripturis, vel iureiurando, vel præsumptionibus. Igitur primo de probatione per testes videamus.

Confessioni si admisceatur qualitas, ea *qualificata* dicitur; ut si fateantur electores, se ad electionem extraneum de *gratia* admisisse (6), aliter *pura et simplex* vocatur. Itaque nostri Iuris DD. statuunt *qualificatam* confessionem in civilibus caussis pro parte tantum acceptari non posse, nisi vel *duplex* sit, idest diversa capita complectatur, vel Iuris præsumptio adiectæ qualitati adversetur. Ast in criminalibus aliud obtinet, quod præsumptio sit contra eum qui *facto* deliquit.

TITULUS XIV.

De Testibus, et Attestationibus. Tit. 20. Lib 2.

Testis est *persona fide digna*, *ad facti controversi veritatem dicto suo* (quod *testimonium, et attesta-*

(5) Interrogatoria suggestiva, ut dicitur, quibus Iudex in specie suggerit quid testis respondere debeat, tamquam perniciosissima ab judice vitanda sunt. Aliter si reus per suggestionem, vel testis crimen fateatur, confessio ista, et depositio pro infecta haberi debet, cum ordo iudiciarius non servetur, et ad condemnandum minime sufficit.

(6) Cap. *de Postulat.*

tio dicitur) *ostendendam advocata*. Omnis quæstio de testibus ad tria capita facile redigitur, ad eorum numerum, qualitatem, examen (1).

Quod attinet ad numerum unius porro testis, quamquam ipse sit omni exceptione maior, nulla tuta fides est; tantum facit, ne temere fiat, quod sine flagitii periculo fieri non potest. Ita cum dubitatur, num quis baptizatus sit, num Ecclesia sit consecrata, cum agitur de impediendo matrimonio, deque avertendo malo, quod ex illo oriretur, uni testi credendum est. Sed et notario, qui ea confirmat, quæ sui officii sunt, nuncio, qui se aliquem citasse testatur, Episcopo, qui testimoniales literas suo sigillo munitas dedit, parocho, qui de suorum vita et moribus, magistro, qui de studio discipuli testimonium ferunt, omnibus habenda fides est.

Generatim tamen duo saltem, tresve testes requiruntur, ut plena probatio habeatur, nisi forte illorum numerus certa aliqua in re a Iure sit definitus. Nam sunt certa quædam negocia, quæ plures eo numero testes requirunt; et in his quidem præscriptus numerus omnino adhibendus est.

Testium multiplici numero firmius quidem red-

(1) Alii testes dicuntur singulares; alii vero contestes. Singulares dicuntur qui non sunt in testimonio concordes. Contestes autem qui circa eamdem rem idem unanimi consensu deponunt. Inter idoneos testes autem nonnulli distinguunt simpliciter idoneos, qui nulla exceptione possunt a testimonio repelli, ab aliis qui omni exceptione majores dicuntur, cum honestate majori existimatione et fide praestant.

ditur testimonium, sed adhibendus est ab iudice modus, ne aut nimium protrahatur iudicium, aut partes sumptibus onerentur. Certe Iure nostro, testium numerus ultra quadragenarium hinc inde non debet excurrere (2).

Præterea interest Reipublicæ, ut veritati, atque iustitiæ non præcludatur via: quare si moniti, ac citati testes non pareant, tamen ad testimonium dicendum, tam in criminalibus quam in civilibus causis, si paucos excipias, cogi tum laici, tum Clerici, vel si opus fuerit per censuras, ipsaque depositione poterunt: etsi quis forte se testimonium non dicturum iureiurando promiserit (3), dum id necessitas flagitet.

Sed et iurati debent esse testes, quoniam iniuratis non creditur, nisi eis adversarius iusiurandum remiserit; præterea non singulares, quales sunt, qui singuli de disiunctis, diversisque actibus testantur, iique, inter quos de eodem actu non convenit, neque qui rem ex auditu deprehenderint, quia testes de auditu plenam sibi fidem non vindicant, nisi alia præsto sint adminicula, aut nisi aliud causæ natura postulet; denique nullo vitio laborare debent, propter quod a testimonio repellantur. Quidam enim ab omnibus iuduciis arcentur, quidam ab aliquibus, quorumdam testimonia pro cer-

(2) Cap. 37. h. Tit.
(3) Cap. ult. *de testib. cogend. vel non*, et Cap. 18. h. Tit.

tis personis, quorumdam contra certas personas non recipiuntur (4).

Ac ne in singulis immoremur, id satis erit statuere totam testimonii vim in testium probitate, ac scientia facti esse positam; quibus rite perpensis, haud ægre diiudicabitur qui nunquam testes esse possint, et qui tantum pro causarum, ac personarum varietate a dicendo testimonio excludantur. Generatim igitur periurum, atque inopem mentis, vel crimine foedum, infamem Ecclesia extorrem, vix testibus addes; vix inquam; nam in gravissimis hæreseos, simoniæ, ac læsæ Maiestatis criminibus iure communi etiam *infames* ad testimonium admittuntur. Nunc ad testium examen veniamus.

Principio qui producuntur testes ab iudice citati, probatique, citatoque in primis adversario, iurare debent, se unice veritatis studio ferri. Deinde a iudice clam, et seorsim ab aliis singuli interro-

(4) Parentes pro liberis, liberi pro parentibus, fratres, consanguinei, et affines usque ad tertium gradum inclusive, coniuges, et sponsi pro se invicem, domestici pro domino, testimonium ferre minime possunt; cum inter has personas magna affectio praesumatur, et falsitatis periculnm. Possunt tamen regulariter esse testes in instrumentis, et in causis, ex quibus nullum in eas potest commodum redundare; ut parentes, et consanguinei circa liberorum aetatem, et cognationum impedimenta etc. Aliqui autem contra quasdam personas testificari non possunt; veluti socius contra socium criminis, inimicus contra inimicum, si inimicitia sit gravis, infidelis contra fidelem, et alii. Hi a testimonio repelluntur eo quod falsitatis praebeant suspicionem.

gari, et examinari debent; nisi ex iusta causa ad Iudicem venire impediantur, quia tunc ad eos mittitur, qui interroget. Ad clericos autem et Regulares quod attinet, quoniam ii in profanis rebus coram laico iudice testimonium ferre vetantur, nisi aliud necessitas postulet, aut venia petenda est ab eorum Præsule, aut ipsorum testimonia Ecclesiasticus Iudex recipit.

Summa in hoc examine diligentia est adhibenda, et responsa testium clara esse debent, ita ut si obscura sint, iterum illi interrogari debeant. Interrogantur autem de circumstantiis, personis, loco, tempore, crudelitate, fama; in primis autem scientiæ causam afferre testes oportet per eum corporis sensum, cui res controversa subiicitur, veluti per fidem oculorum, si de facto, per fidem aurium, si de dicto quæratur. Quæ interrogationes plerumque ab adversario proponuntur (5), quo præsente, interrogandi sunt testes, quæ civilis (6), et canonici iuris disciplina est; sed fori usu iandiu receptum est, ut clam a iudice interrogentur, ac tantum vocetur adversarius, ut adsit, cum illi sacramentum emittunt.

Peracto testium examine publicanda, sive vulganda, ac litigantibus demonstranda sunt omnia, ut intelligant, quid gestum dictumque sit, ac si

(5) Cap. 2. *de Testib. in 6.*
(6) L. 15. *Cod. de Testib. Novel.* 90. c. 9.

quid habent obiiciendum proferant. At post publicationem neque super propositis articulis, nisi forte aliqui omissi fuerint, interrogandi sunt testes; neque in eorum personas aliquid opponi potest, nisi qui eos refellit, prius iuret, se id non dolo facere, aut nisi ante publicationem protestatus sit, aut nisi ostenderit, se demum post publicationem didicisse exceptionum causas, quas ignoraverat. Testes ab actore datos refellere potest reus contrariis ab se productis testibus, quos actor aliis item testibus refutabit; atque hic debet consistere productio testium, ut lites habeant medium quemdam modum. Cum inter actoris, reique testes pugna est, plus fide digni, ac verisimiliora affirmantes, cum hæc in omnibus paria sunt, plures numero præferuntur. Testimonia vero in uno iudicio recepta fidem faciunt in eadem causa, et inter easdem personas coram alio iudice; sed in summario recepta, in plenario non probant.

TITULUS XV.

De Inspectione oculari, et de Notorio.

Aliquando testes adeo inter se pugnant, ut vix quidpiam probabile ex eorum testimoniis eliciatur. Tunc vero ad facti veritatem adstruendam, ad inspectionem ocularem, quam dicunt *accessum*, præ-

stat confugere, qui licet in criminalibus causis adhiberi soleat, eum tamen et civiles causæ nonnumquam postulant, cuiusmodi imprimis sunt, quæ de finibus regundis, de veritate, aut falsitate instrumentorum detegenda, de prædiorum servitutibus, de novi operis nunciatione, impotentia coeundi, similibusque versantur.

Est igitur accessus *iudicialis actus, quo de re controversa iudici, vel ex eius mandato alteri per ipsius aspectum rei fides fit*. Si iudex igitur non satis peritus rei sit, de qua agitur, peritis expertisque alterutrius sexus personis pro causæ indole, inspectio committenda est, a quibus iuramentum exigitur, se iuste, ac vere quod sentiant relaturas.

Advocari autem debent omnes, quorum interest, ac testes, quoad rei natura patitur; ni forte iudex privatim rem velit inspicere pro *instructione*, ut dicunt, animi sui.

Legitime institutæ inspectionis, non item privatæ effectus est, ut plenam perfectamque probationem suppeditet, nec possit iudex a peritorum concordi sententia recedere.

Notorium vero dicitur, quod adeo patens, perspicuumque est, ut nulla possit tergiversatione celari.

Quod definivimus *notorium facti* vocatur, et quidem *permanentis* si facti ipsius vestigium aliquod permaneat, ut vulnus, incendium, fractu-

ra etc.; *transeuntis* autem, si factum nulla post se vestigia relinquat, ut verbalis iniuria, blasphemia etc.

Sed et est *notorium iuris,* idque ita dicitur, quod vel per confessionem rite iure factam, vel per iudicis sententiam constat.

Ex dictis iam consequitur, *notorio facti* potissimum permanentis tantam inesse vim, ut plenæ perfectæque probationis loco sit. Quid vero notorium iuris efficiat partim alibi innuimus, partim a Doctoribus, qui de eo plenius disputant, haurietis.

TITULUS XVI.

De fide Instrumentorum. Tit 22. Lib. 2.

Præter hactenus recensitos probandi modos probationes eliciuntur etiam ex instrumentis, nimirum ex scripturis, quæ fidem iudici faciunt rei, quam continent. Nam angustiori significatione scripturæ instrumenta appellantur; cum latiori significatione quidquid ad causam instruendam pertinet, ideoque etiam testimonia instrumentorum nomine comprehendantur. Instrumentorum quæ rite confecta sint eadem est in iudicio, quæ testium fides, et auctoritas, eaque vel publica, vel privata sunt. *Publica* instrumenta, sive scripturæ sunt, quæ publica auctoritate conficiuntur a personis, quibus id munus

datum est, uti sunt censuales tabulæ, instrumenta a notario rite conscripta (1), acta iudicialia, scripturæ ex publicis archiviis eductæ, et a publica persona confectæ. Eodem loco sunt scripturæ publico, et authentico sigillo obsignatæ, veluti Principis, Episcopi, Capituli, Universitatis; itemque libri Parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, funera describuntur. *Privatæ* scripturæ a privatis nulla publica auctoritate conficiuntur, et huc spectant epistolæ, apochæ, antapochæ, chirographa.

Publica instrumenta plenam in iudicio probationem constituunt; modo authentica ipsa, hoc est autographa proferantur. Nam exemplo non facile creditur, nisi ex authentico sumptum legitime sit, et cum eo conferatur, probeque conveniat. Fides

(1) Quamvis instrumentum *publicum*, et *authenticum* saepe confundantur, imo quoad effectum non differant, cum per utrumque fiat plena probatio, nihilominus in se differunt sicut genus et species. Omne enim publicum instrumentum est etiam authenticum; sed aliquando accidit, ut instrumentum authenticum possit esse privatum, seu privata manu confectum. Rursus publicum instrumentum est duplex; *protocollum*, et *transumptum* quod communiter instrumenti nomine venit. Protocollum est scriptura prima et brevis rei gestae substantialia capita summatim continens. Hoc autem nomen sumptum est a *protocolo*, quod significabat olim quandam in chartae capite notam: seu erat prima scheda, in qua character est chartae, ut inde nosceretur quo artificio, quove tempore fuerit confecta, ut figura duarum clavium, librae, amphorae, rosae etc. quod videre est in antiquis manuscriptis. Libri itaque in quibus gesta summarie notantur dicuntur protocolla. Transumptum vero est, scriptura plena et integra circa rem gestam confecta, et ita dicitur quod ex protocollo transumatur. Notandum est protocollum vim habere plene probandi; ex eo enim quasi ex fonte transumpti veritas hauritur; et protocollo potius credendum est in dubio, utpote priori, et rei gestae seriem simplicius continenti.

tamen publicis quoque instrumentis subtrahi potest exceptione falsitatis, quæ pluribus testibus evidenter demonstrata sit. Præterea nihil efficit qui inter se contrarias scripturas protulit, aut abrasas in loco suspecto, aut lectionis ita impeditæ, ut legi, et intelligi nequeant.

Privata scriptura, cujus est comperta veritas, tantum contra scribentem probat, modo causa debiti expressa sit; excepta liberatoria confessione, in qua creditor sibi solutum debitum profitetur, quæque, nulla etiam adiecta causa, contra scribentem probationem facit. Sed scripturæ, quæ tribus munitæ sunt testibus, vim habent publici instrumenti (2); ac libris mercatorum publicæ utilitatis, et commercii ratio tam pro scribentibus, quam contra scribentes fidem tribuit.

TITULUS XVII.

De Iureiurando. Tit. 24. Lib. 2.

Est et probatio, quæ oritur ex iureiurando (1),

(2) Leg. *Scripturas* Cod. *qui potior. in pign. habeantur*. Vid. Io Dev., et Fierli notas.

(1) Iusiurandum si rite fiat, ut ratio praescribit et sacrae literae docent, nempe in iustitia, iudicio, et veritate actum esse religionis sanctum et licitum, quo Deus colitur Catholici tenent contra haereticos, quibus certe nullum suffragium praebet pro sua tuenda sententia, quod legitur in D. Iacobi epistola, in qua cap 5. vers. 12- Apostolus praecipit: „ *nolite jurare* „ nam hic tantummodo

quod definitur *religiosa affirmatio*, hoc est *advocatio Divini Numinis in testem eius rei, quæ promittitur, aut asseritur*. Dividitur iusiurandum in *promissorium*, et *assertorium*. Illud futurum respicit, atque in contractibus non raro adhibetur; hoc ad præsens, aut ad præteritum tempus pertinet. Assertorium iuramentum triplex est, *voluntarium, iudiciale*, et *necessarium*.

Voluntarium est, quod alter alteri, ex mera voluntate extra iudicium defert, vel refert. *Deferre* iusiurandum est adversario offerre iurisiurandi conditionem; *referre* autem est non suscipere hanc conditionem, eamque potius in ipsum offerentem reiicere. *Iudiciale* iuramentum est, quod in iudicio alter litigantium alteri defert iudice non cogente, sed approbante: atque hoc vel præstari, vel saltem referri debet. *Necessarium* est, quod iudex vel actori, vel reo defert, ubi plena probatio desit, ut inde veritas innotescat.

Iuramento necessario locus est in causis dubiis, idque dicitur *suppletorium*, quoniam eo semiplena probatio suppletur. *Dubiæ* causæ ex veriori sententia sunt, in quibus plena probatio data non est, puta, quod graves adsint praesumptiones, quæ non omnem abigunt scrupulum, aut quod allati sint testes, in quos aliqua exceptio cadere posse videa-

prohibetur juramentum temere factum, non vero quod solet fieri ex necessitate, et iusta de causa.

tur. Defertur hoc iusiurandum ei, qui semiplene probavit, modo personarum, et causæ ratio habeatur (2); et si reus æque atque actor semiplene probaverit, deferendum est reo, cuius in re dubia potior causa est (3).

Oblatum Iuramentum litigantes recusare non possunt, nisi iustam habeant recusandi causam; ut si deferatur reo, contra quem nihil probavit actor, aut actori, qui plenam probationem attulit (4). Delato, et emisso iuramento secundum eum, qui iuravit, ferendum iudicium est. In omnibus autem causis civilibus huic iuramento locus est, non item in criminalibus propter periurii metum, nisi de Canonica Purgatione agatur, de qua dicetur in Libro IV.

TITULUS XVIII.

De Præsumptionibus. Tit. 23. Lib. 2.

Denique vim probationis habent *Præsumptiones* (1), quæ sunt *coniecturæ ex aliquo verisimili*

(2) Ut juramentum suppletorium legitime deferatur necesse est, ut ab judice id fiat praevia causae cognitione, adversario praesente citato, et in causa civili, non nimis ardua. Deferendum insuper est personae honestae, quae scientiam habeat rei sensibus corporeis acquisitam, non vero personae, quae sit de perjurio suspecta. Praecedat etiam oportet semiplena probatio et ante conclusionem in causa, licet etiam postea judex illud deferre possit, *cum judici numquam sit conclusum in causa*.

(3) Cap. *XI. de Reg. iur. in VI.*

(4) Cap. 2. *de Probat.*

(1) Cap. 7. *de Haeret. in VI.*

ad probandum sumptæ: eæque vel iuris, vel hominis sunt. Præsumptio *iuris* a lege procedit; hoc est certa lege, vel canone comprehenditur, neque a iudicis arbitrio pendet; eaque duplex est, pro diversa ratione, qua proponitur, alia *iuris tantum*, alia *iuris*, et *de iure*. Præsumptio *iuris*, et *de iure* est, quam non modo Ius probat, sed etiam ita certam, atque exploratam habet, ut omnem contrariam probationem excludat. Ita iure Decretalium si quis concubuerat cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat, inducebatur matrimonii præsumptio, quæ labefactari non poterat, et qui ea premebatur aliam uxorem accipere ante Tridentinam Synodum prohibebatur.

Præsumptio *iuris tantum* est ea, quam Ius probat tamquam verisimilem, non tamquam certam, et veram, adeo ut contraria probatione infirmari non possit. Ita hæres, qui inventarium non confecit, hæreditaria bona distraxisse censetur; sed hæc præsumptio contraria demonstratione tolli potest. Huiusmodi sunt pleræque præsumptiones, de quibus agunt Decretales *in titulo de Præsumptionibus;* et harum omnium propriæ sunt formulæ *videri*, *extimari*, *intelligi*, *haberi*. Præsumptio *iuris* et *de iure* omnem respuit contrariam probationem (2); præsumptio *iuris tantum* non eam sane respuit, sed

(2) Cap. 30. *de Sponsal.*; C. 4. *Qui matrim. accus.* etc.

probandi onus in illum transfert, qui habet contra se præsumptionem (3).

Præsumptio *hominis* est coniectura ab indiciis nata, quæ nulla certa lege continetur, eaque vel est levis, et temeraria, vel probabilis, vel violenta. *Levis*, et *temeraria* præsumptio est, quæ ex incertis oritur, levibusque argumentis, et nihil probat. Ad hoc præsumptionis genus referri possunt antiquæ purgationes, quas *vulgares* dicebantur, quasque in Lib. IV. indicabimus.

Præsumptio *probabilis* oritur ex probabilibus coniecturis, quæ prudentibus etiam viris persuaderi possunt; *violenta* ex indiciis, argumentisque gravissimis, quæ fere claram probationem constituunt. Harum exempla plura sunt tam in sacris literis, quam in hoc ipso Decretalium Titulo, quem exponimus.

Cunctæ hominis præsumptiones pendent ab arbitrio iudicis, cuius est pro animi sui religione iudicare, quanta in singulis vis insit, et quanta iis fides tribuenda videatur. Coacervantur autem præsumptiones, et coniecturæ, quæque singulæ forte inter se non movent, universæ tamen connexæ, atque coniunctæ movere debent (4). Plus præstant

(3) L. 24. *ff. de Probat.*, C. 10. *de Praesumpt.*

(4) Si plures praesumptiones contrariae sunt manifestum est, fortiorem debiliori praevalere; itaut praesumptio validior hominis vincat praesumptionem iuris. Sic praesumptio honestior, benignior, et magis naturae conformis praevalet contrariae; veluti

præsumptiones in causis civilibus, quam in criminalibus, in quibus nemo ex solis coniecturis etiam vehementibus condemnandus est; excepto crimine hæreseos; nam ex vehementi præsumptione hæreticus condemnatur, nisi omnem suspicionem excusserit (5).

Ad præsumptiones *Fama* refertur, quæ communis est alicuius viciniæ ex coniecturis orta opinio, quæ per clamorem, aut vocem populi manifestatur. Fallax, ut est vulgi natura, credula nimium, et inconstans, non raro invenitur fama; unde eius æstimatio singularem, summamque iudicis prudentiam desiderat.

TITULUS XIX.

De Dilationibus. Tit. 8. Lib. 2., et *Conclusione in causa*.

Nihil in foro, et iudiciis usitatius est dilationibus. Nam eas sæpe reus ad parandas exceptiones, sæpe etiam actor ad probationes confirmandas a iudice petit; idque non initio solum, sed etiam in pro-

quod aliquis sit liber, legitimus, non criminosus, nisi contrarium probetur. Praesumptio in specie praesumptionem in genere, et ea quae stat pro valore actus, vel causa favorabili, vel animae bono, vincit oppositam. Quod si praesumptiones sint prorsus aequales, absolvitur reus, nisi favorabilem causam habeat actor.

(5) Cap. 13. §. *Qui autem de Haeret.*, C. 7. 8. eod. in 6.

gressu litis. *Dilationem* vocamus *iustum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur, ad actum aliquem Iudicialem commodius expediendum.*

Dilationes vel a lege dantur (1), vel mutua litigantium voluntate constituuntur, vel a iudice conceduntur. Sed ius Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium iudici commisit (2).

Quod non ita intelligendum est, quasi iudici integrum sit, quas velit, dilationes concedere suo arbitratu. Nam ut dilationes concedantur, iusta causa opus est, eaque rite demonstrata, denegari non possunt. Hinc si nimis breves datae sint dilationes, quae pares non sint rei præsertim gravi, et implicatæ, iusta est appellandi causa.

Dantur dilationes ad inducendos testes (3), ad exceptiones peremptorias proponendas (4): ad proferenda instrumenta, ad se purgandum (5), ad accusandum, et agendum (6), ad cursum appellationis prosequendum (7).

(1) Huiusmodi dilatio est 20. dierum Reo data ad deliberandum post oblatum ei libellum, dierum 30. ad petendos Apostolos. Apud jurisconsultos apostoli dicuntur, quos dimissorias literas alias vocant, quae literae ab eo a quo appellatum est, ad eum qui est cogniturus de appellatione dantur appellationis testandae causa. Vide Titulum XXII. *huius libri*.

(2) C. 24. *de offic. et potest. deleg.*

(3) Cap. 9. *de Probat.*

(4) Can 1. *et* 3. *C.* 3. Qu. 3.

(5) Cap. 33. *de Testib. et attest.*

(6) Cod. 14. *de Accusat.*

(7) C. 13. *de Offic. Iud. Ordin.*

Quemadmodum in iudicio sunt partes tres, ita singulæ suas habent dilationes. Hinc triplex earum genus distinguitur : nam aliæ dantur in prima litis parte, videlicet a citatione usque ad litis contestationem, et hæ vel citatoriæ, vel deliberatoriæ vocantur. *Citatoriæ* dantur ad comparendum, *dilatoriæ* ad deliberandum, num ille, qui in iudicium vocatus est, litem suscipere debeat. Quædam autem conceduntur a litis contestatione usque ad sententiam, quæ *probatoriæ* dicuntur, quia dantur ad parandas, afferendasque probationes. Denique in tertia litis parte dilationes conceduntur ad audiendam sententiam, vel mandatum exequendum, quæ *definitoriæ* nuncupantur.

Dilationum tempore (8) iudicis officium conquiescit. Et quia arbitrarias tribuere dilationes actus est iudicialis, idcirco concedendæ sunt ab iudice pro tribunali sedente, causaque cognita (9). In dilationibus, quæ a iure dantur, nulla causæ cognitione opus est.

Inter iustas concedendæ dilationis causas *interventio* rectissime adnumeratur; quæ fit cum quis tertius

(8) Quoad modum computandi tempora dilationum observa, primam diem datae dilationis non computari, sed alteram proximam. Ultima vero dies cedit impetranti, adeo ut sufficiat, ultimo huius diei momento comparere. Medium autem tempus est *continuum*, numerando dies feriatos, et non feriatos, nisi forsan feriati dies plures essent non feriatis; tunc enim dies feriatos suppleri per *utiles* postulat aequitas.

(9) Can. ult. *caus.* 3. *qu.* 3.

litigator ad iudicium inter duos iam initum accedit: quare is *intervenire* tantummodo potest, qui et legitimam se iudicio sistendi facultatem habeat, et cuius aliquo pacto intersit in ea causa iudicem adire, ut propria iura defendat (10).

Postquam litigatores actus omnes perfecerint sibi ad instruendam causam competentes, nec ulli amplius iustæ dilationi concessus videtur locus, in causa concluditur. Est siquidem *conclusio in causa* a iure Canonico inventa (11), *actus quo ulterioribus probationibus, et exceptionibus renunciatur, et causa iudici decidenda remittitur*.

Hic autem actus sive a legis præscripto pendeat, sive tacite per factum aliquod, sive per expressa verba fiat, vel *generalis* est, vel *specialis*. Per generalem conclusionem in tota causa concluditur, et definitivæ sententiæ paratur via; per specialem autem cum in articulo quodam concludatur, interlocutoriæ locus fit (12),

Id vero quoad facta, partesque concludentes intelligitur; non quoad iudicem, et allegationes iuris. Imo post conclusionem quandoque omne probationis genus admittitur, velut in causis Matrimonialibus, Minorum, Ecclesiarum etc. in quibus si quid postquam conclusum fuerit, proponatur, pri-

(10) Schmier. *Lib.* 2. *Tit.* 2. *Cap.* 3. *etc.*
(11) Cap. 5. §. 3. *de Caus. poss. et propr.*
(12) Cap. *Quoniam* 11. *de Probat*, Cap. 9. *de fid. instrum. et* Clem. 2. *De verb. signif.*

ma conclusio revocata censetur, et rursus est in causa concludendum (13).

TITULUS XX.

De Sententia, et Re iudicata. Tit. 27. Lib. 2.

Post conclusionem in causa citandæ sunt partes, ut certo die ad ius audiendum conveniant; ne inutiliter adversus absentem, et non contumacem sententia pronuncietur (1); nisi de notorio agatur, aut ubi partes nihil sui defendendi causa possunt afferre.

Sententia est *pronunciatio*, sive *definitio iudicis, condemnationem, vel absolutionem continens*, vel *rei controversae finem imponens*; estque triplex, interlocutoria, definitiva, et media, sive vim definitivæ habens. *Interlocutoria* est, quæ non super universo negotio fertur, sed super aliquo emergenti inter causæ cursum, puta in libello ferendo, vel in danda, negandave exceptione, aut similibus; quæ quamvis ad causam pertineant, finem tamen causæ non imponunt; unde dicitur interlocutoria, quia iudex interea loquitur, nec definitive de causa pro-

(13) Cap. *Cum Ioannes* 10. *de fid. instr. et* Cap. 3. *De in integr. restit.*
(1) Cap. 2. *de dolo et cont. in VI.*

nnnciat. *Definitiva* vero est *quæ totam controversiam dirimit condemnando*, *vel absolvendo*.

Magnum inter utramque sententiam discrimen est. Nam interloquutoria sententia ab eodem iudice revocari potest, definitiva non potest; hæc in scriptis ferri debet, illa non scribitur, nisi aliter postulet usus cuiusque curiæ: a definitiva appellatur, ab interloquutoria appellare non licet, nisi vim habeat definitivæ, aut magnum inferat detrimentum, quod alio modo removeri non possit (2).

Ut definitiva sententia vim habeat plura desiderat. Principio visis penitusque perspectis omnibus, quæ ad causam pertinent a competente iudice, qui in litigantes, aut saltem in reum iurisdictionem habeat (3), eoque pro tribunali publice sedente, ac iuris ordine servato (4) ferenda est. Erat autem Tribunal sublimis, et editus locus, in quo Magistratus ius dicebat: cui locus planus, ut via ipsa, opponitur; unde formula *de plano* (id est sine solemni iudicii forma), *cognoscere*. Verum sessio hæc ad sententiæ *valorem* a solo Iure Canonico constituta est (5); a quo tamen in Iudiciis summariis nulla est imposita sedendi necessitas (6).

Deinde vero sententia definitiva, ni de minimis

(2) Vid. Tit. nostr. *de Appellat.*
(3) Cap. 4. *de Iudiciis* Cap. 3. *de Consuet.*
(4) Cap. 15. *hoc T.* Cap. 1. et seq. *ut lite non contest.*
(5) Cap. 3. *hoc. Tit. in VI.*
(6) Clem. 2. *de Verb. signific.*

agatur, ferenda est in scripto; aliter *ne nomen quidem sententiæ meretur* (7): tum vero ex eo ab ipso Iudice recitanda, exceptis, ad exemplum illustrium Magistratuum veterum, Episcopis. Hodie tamen scripto *latam, et publicatam* sententiam Notarius in acta refert, eaque tunc incipit vim suam exerere.

Ecclesia semper usa videtur græco, aut latino idiomate (8); atque hoc in sententiis dicendis Occidens retinuit, postquam illud a vulgi usu recessit: atque hoc alicubi adhuc utitur barbaro tamen, et incondito saeculare forum.

Porro sententia debet esse cum iure consentiens, actisque, et probatis congruens, ut si Iuri expresso repugnet, nulla sit (9); si vero litigantis iuri adversetur valet quidem, etsi iniqua sit, sed per appellationem suspenditur, novoque iudicio revocatur (10). Debet etiam esse certa, et quæ definite absolvat, aut condemnet; quamquam necesse non

(7) Cap. 5. *h. T. in VI.*

(8) Lingua qua jure Romano sententiam concipere oportebat, erat tantummodo latina; ea enim leges ferebantur, et acta publica concipi solebant. Hoc jus non modo in Urbe, sed etiam in Provinciis obtinuisse videtur, quamvis diversus esset popularis sermo. Arcadii, et Honorii Imperatorum rescripto Provinciarum Magistratibus facta est facultas, ut tam latino, quam graeco sermone proferre sententias possent. Ecclesia tamen etiam ante Arcadium in suis judiciis sive latina, sive graeca lingua usa est, prout popularis loquendi usus postulabat: et Occidentalis Ecclesia etiam postquam popularis latini sermonis usus defecit, sententias latine dicendi consuetudinem retinuit.

(9) L. 19. ff. *de Appellat.*, C. 1. h. t. C. 64. *de Regul. iur in* 6.

(10) L. 2. Cod. *provoc. non est necess.*, C. 5. et 6. *de In integr. restit.*, C. 13. et 21. h. t.

sit in ea decidendi rationes enarrare, nisi id gravis causa postulet (11); postremo controversiam per omnes eius partes expedire debet. Hinc non tantum super præcipuo negocio ferenda est, sed etiam super iis, quæ negocio accedunt, cum eoque sunt connexa, et coniuncta, uti sunt expensæ litis, et fructus percepti; dedecet enim, absoluto iudicio, litem alteram ex prima litis materia exoriri.

Et quia litem iniuste videtur institutus, qui causa cecidit, victus in expensas victori reficiendas tum saltem condemnatur, cum costat eum temere, ac per calumniam litem intulisse (12). Fructus vero, quos victus cogitur restituere, ii præcipue sunt, qui post litem contestatam fuere percepti, aut saltem percipi potuissent, quoniam, re in iudicium deducta, statim in possessore mala fides oritur. Quin etiam si quis ante litem contestatam in dolo, malave fide versatus est, etiam fructus antea perceptos restituere debet.

Lata, et publicata sententia, nisi ab ea intra decem dies appellatum fuerit, vim acquirit *rei iudicatæ* (13), quæ finem controversiarum pronunciatione Iudicis accipit. Nam qui intra legitimum tempus non provocavit, cum provocare posset, is in sententiam consensisse videtur. Proprie res iudica-

(11) Cap. 16. *et* 18. *de senten. et re iudic.*
(12) Confer. Donellnm *de Iur. L.* 16. *c.* 3.
(13) Cap. 13. et 15. h. t.

ta, non sententia, controversiæ finem imponit, quoniam hæc non ita rem expedit, ut totum negocium plane finitum habeatur. Res iudicata actionem, et exceptionem parit (14); jus facit inter litigantes, quin et tertium obligat, si ex eius consensu lis acta sit, aut is causam ab alterutra parte habeat (15); veritatis habetur loco (16), et quamquam postea nova prodierint monumenta, tamen lis per rem iudicatam extincta, nonnisi ope restitutionis in integrum, redintegrari potest (17).

(14) Cap. 13. h. t.

(15) Cap. 25. eod. *c.* 25. in fin. *de Praeben.*

(16) An res iudicata sit firma pro conscientiae foro, disputant Canonistae. Clarissimus Maschat in suis institutionibus Canonicis *Lib. 2. Tit. 27. de sentent. et reiudic.* in ea est opinione, ut rem judicatam pro conscientiae foro non esse plene firmam existimet, sed per se solam usucapiendi conditionem tribuere; idque multis rationibus probare conatur. Animadvertit autem titulum *judicati* evanescere porsus, si ante usucapionem completam, rei alienae certa notitia accedat: quia sententia, et res judicata in praesumptione facti particularis habet fundamentum, quatenus ex allegatis et probatis constat esse contractum, debitum, aut delictum, vel quod iste aut ille sit rei dominus; sed si falsitate nititur praesumptio, nihil pro interiori foro, in quo praesumptio manifeste veritati cedit, res judicata efficaciter operari potest. Nullibi vero in jure sententia, et res judicata numeratur inter modos obligationem solvendi, vel dominia transferendi et jura, imo, post rem judicatam *nihilominus obligatio durat*; §. 5. *Instit. De exception.* adeoque victor in judicio in conscientia vi rei judicatae tutus esse non potest, si deinde rei alienae vel debiti notitiam acquirat. Hinc duo pro praxi sunt colligenda. Primo enim si bona fide pars litigat, et vincit, vi rei judicatae, possessionem, et usucapiendi conditionem acquiret, ita ut ordinario tempore contra privatos rem sibi adjudicatam usucapiat, dummodo toto praescriptionis tempore perseveret bona fides. Secundo colligitur, quod si cognitio certa alienae rei perveniat ante completam usucapionem, ob malam fidem accedentem naturaliter interrumpitur praescriptio, et in conscientiae foro oritur obligatio restituendi, vel solvendi quod vi falsae rei judicatae fuit acquisitum.

(17) L. 4. Cod. *de Re iudic.* C. 21. h. t.

Multæ tamen causæ sunt, in quibus sententiæ vim nunquam obtinent rei iudicatæ, quamquam appellatum non fuerit, eæque idcirco recte revocantur. Huiusmodi sunt causæ, in quibus agitur de vi matrimonii (18); item sententiæ latæ a iudice excommunicato (19), vel incompetente, aut competente quidem, sed contra ius expressum, aut contra priorem rem iudicatam, aut neglecto iuris ordine, aut ex falsis instrumentis et testibus, a quibus iudex deceptus est, aut quæ dictæ a iudice pecunia corrupto (20); denique nunquam transeunt in rem iudicatam sententiæ criminales, in quibus rei condemnati sunt, præsertim cum subeunt pœnam, quæ restitutionem admittit (21).

TITULUS XXI.

De Executione rei iudicatæ.

Sententia postquam in rem iudicatam transiit, sive quod omissa fuerit appellatio, sive quod eam respuat ut iudicium exitum habeat, est executioni mandanda, et quidem exequenda est statim, si de actione reali agatur; si de personali, per spatium quatuor mensium iudicis arbitrio prorogandum ex

(18) Cap. 10. *et* 11. h. t. C. 5. *et* 6. *de Frigid. et malefic.*
(19) Cap. 24. h. t. C. 13. *de haeret.*
(20) L. 7. Cod. *Quando provocar.* etc.
(21) Blas. Altimar. *De Nullit. sent.*

iusta causa, vel restringendum, quod tempus debitori conceditur a iure ad curandam solutionem.

Qui autem tulit sententiam, idem et exequi debet, si iudex fuerit ordinarius (1), nisi executio facienda sit extra territorium iudicantis: tum enim adeundus est iudex territorii illius. Si vero sententia lata fuerit a iudice delegato, executionem accipiet ab ordinario delegante, excepto delegato Summi Pontificis, qui delegatus, quia ratione causæ illius præstat omnibus iudicibus post Pontificem, ideo potest per se suam sententiam exequi, aut alteri committere exequendam (2).

Quoniam vero sententia inter alios lata, ius non inducit contra tertium inauditum; ideo potest ille tertius executionem impedire, ac suspendere per appellationem, donec de suo iure docuerit (3).

Cum autem fit executio, certus est observandus ordo, quem ius constituit. Nimirum si res ipsa extat, quæ restitui debet, ea, vi quoque, ubi opus fuerit, adhibita, auferenda est (4); si nulla ea sit, aut propter pecuniæ debitum facienda sit executio, primum capienda sunt bona mobilia, deinde immobilia, postremo, si illa non extent, vel satis non sint, iura et nomina debitorum, semper tamen pro modo debiti, creditori addicenda sunt, usu tamen

(1) C. *Si quis contra* §. *ult. de foro competenti*.
(2) Cit. Cap. *Si quis contra*.
(3) Cap. *Cum supra de sent. et re iudic.*
(4) L. 68. ff. *de rei vindic.*

fori indiscriminatim alicubi tam mobilia quam immobilia capiuntur; præsertim cum debitum hypothecarium est. Tantum speciali iure cautum est, ut nonnisi in subsidium executio fiat in stipendia, arma, et equos militum; itemque ut instrumenta ad agriculturam, et ob iuris analogiam, ad artem quamlibet necessaria, ac vestes, quibus quis indutus est, executioni non subiiciantur.

Capta pignora, vel bona mobilia, quorum solemniter capienda possessio est, ad hastam publicam (5) distrahuntur; quod fit per longas ambages partim communi, partim municipali iure constitutas, quas extricant Pragmatici, evolvitque more suo pereleganter Cl. Præsul Io. Devoti in egregio libro *de Notissimis in iure legibus*.

Siquidem autem circa executionem disputandum

(5) Hasta instrumentum erat ex ligno praeferrata cuspide, quo utebantur in bello milites. Qui fortiter in bello milites fecissent hasta pura, quae sine ferro erat donabantur, et signum erat pacis, ut apud Svetonium legitur, *Claud. Cap.* 28. In nuptiis quoque hastae usus erat. Nam supra caput sponsae poni solitam fuisse dicitur hastam de corpore gradiatoris eductam, vel ut ostenderetur promptum esse supplicium, si fidem violasset coniugii, vel ut declararetur sponsam subjici jure nuptiarum imperio viri, cum hasta imperii symbolum esset, vel denique quia matronae in tutela erant Iunonis Curitis, quae sic vocabatur ab hasta ferenda; haec vero Sabinorum lingua dicebatur *curis*. Insigne quoque erat hasta apud Romanos Iudiciorum Decemviralium, et Centumviralium; hi enim hasta in foro posita judicabant. Praecipue vero erigebatur hasta, cum esset auctio, vel alicuius bona auctione publica vendebantur. Aliqui tamen asserunt auctionem fuisse, cum publica fieret venditio, et res plus offerenti traderetur, ab *augendo pretio;* hastae vero venditionem, publicam alienationem bonorum eorum, qui damnati proscriptique fuissent: hinc illud Ciceronis *Philip.* 8. „ *hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent* „.

inciderit, tum ejus causæ cognoscendæ gratia executio differtur; si agatur apud executorem mistum, hoc est, qui cum executione habeat etiam aliquam notionem, et propterea eas exceptiones admiserit, quæ non ad mutandam sententiam, sed executionis modum, vel tempus pertinent (6). Secus vero si agatur apud executorem merum, qui nullam exceptionem potest admittere.

TITULUS XXII.

De Appellationibus. Tit. 28. Lib. 2.

Ne sententia in rem iudicatam transeat, veluti aliquod contra iniustitiam, et oppressionem remedium, concessa est *iudicialis appellatio:* quæ ita definitur: *ab inferiore iudice ad superiorem facta provocatio, ut id quod inique factum est tollatur, vel emendetur* (1). Non improbatur tamen querela, et

(6) Cap. De caetero *de senten. et re iudic.*

(1) Ab arbitri, vel arbitratoris sententia appellatio non datur. *Arbitri* propric nuncupantur qui a partibus eliguntur, ut servato ordine juris procedant, eorumque sententia dicitur *arbitrium* seu *laudum*, a *laudando*. *Arbitratores* vero dicuntur, si debeant procedere ex bono et aequo, et juris ordine non servato, eorumque sententia appellatur *arbitramentum*. Cum igitur litigatores eo animo in Arbitros compromiserint, ut per eorum sententiam finis imponeretur controversiae, quod nunquam fieret si ab eorum sententia admittenda semper esset appellatio, merito appellationis subsidium ab Iudicibus arbitrariis denegatur. Cum enim post factum compromissum arbitrorum personas revocare nequeant compromittentes, neque eorum sententias possunt a fortiori respue-

perfugium ad iudices adversus extraiudiciales quoslibet actus ob illatum vel imminens gravamen, cuiusmodi sunt electio, Beneficiorum provisio etc. (2), unde hæc exraiudicialis appellatio vocatur, quam rectius *provocationem ad causam* diceres. Quare qui de illato vel inferendo gravamine cognoscere ordinario iure potest, is est huius appellationis iudex.

Iudicialis appellatio vel contra interlocutionem, vel contra sententiam definitivam emittitur; sed tum tantum appellatio a Tridentinis Patribus (3) probato civili iure permissa est, cum interlocutoria sententia vim habet definitivæ, aut gravamen affert, quod a definitiva reparari nequit.

Inter appellationem, quæ a definitiva, et quæ ab interloquutione fit, magnum discrimen intercedit. Principio appellatio a definitiva iurisdictionem suspendit iudicis, unde appellatum est (4); sed non idem efficit appellatio ab interloquutione, nisi ea irreparabile damnum afferat, aut inferior iudex appellationi detulerit, aut iudex superior dederit inhibitionis literas (5), quas minime dat, nisi pri-

re. Si vero partes ab arbitrorum laudo sentiant se gravatas, nil impedit, quominus petant, ut ad boni viri arbitrium laudum reducatur. Quod si ordinarius Iudex, a quo haec petitur reductio partes gravaverit, ab hac reductione vera appellatio potest fieri a partibus; tunc enim vere Iudicis officio fungitur, ideoque tamquam ab Ordinario recte appellatur.

(2) Cap. 8. *h. T. in 6.*

(3) Sess. 13. *C.* 1. *et sess.* 24. *Cap.* 20. *de Reform.*

(4) C. 7. *h. T. in 6.*

(5) C. 5. *et* 7. *eod Cap.* 2. *de dol. et contum. in 6.*

mnm iustam appellationis causam deprehenderit (6). Imo expirat hæc appellatio, si ipse iudex inferior damnum per simplicem interloquutionem a se illatum corrigat.

Deinde appellatio ab interloquutione scripto exhibenda est in eo expressa appellationis causa. Contra a definitiva etiam viva voce, illico tamen appellatur, quin necesse sit appellationis causas exprimere, etsi ex intervallo appellatio proponatur, ad quam in hoc casu libellus requiritur. Demum appellanti a definitiva quibuslibet probationibus, et causis uti licet; sed appellans ab interlocutoria expressas tantum causas confirmare potest, neque novis utitur probationibus.

Appellare possunt tam proprio, quam procuratorio nomine non tantum ii, qui damnati iudicis sententia damnum pertulerunt, sed etiam omnes, quorum interest sententiam infirmari (7). Ita recte provocat fideiussor, si debitor victus iudicium deserat, itemque venditor, contra quem regressum habet emptor, si hic, postquam causa cecidit, ab ea desistat. In communi causa unius appellatio, quæque eam sequitur victoria cæteris etiam prodest litis consortibus, qui non appellarunt.

Cum appellatio pertineat ad sententiam, quæ utpote iniqua, non tamen irrita infirmanda est, ut

(6) C. 3. eod.
(7) *Can.* 30. *C.* 2. *qu.* 6., *C.* 16. §. 1. *de Elect.*

iniquitas corrigatur; idcirco contra sententiam, quæ per se *nulla* est, inutilis est appellatio, ac sufficit nullitatis causas proponere, ut *circumscribatur*, quemadmodum ex fori usu loquimur, id est, opinio de eius firmitate penitus deleatur. Nullitatis autem causas superius indicavimus.

Ex axiomate, quod initio posuimus, ipsaque definitione ita colligas: frustra provocant qui sententiam quoquo modo probarunt (8), vel se non appellaturos iurati promiserunt; qui testibus et argumentis convicti crimen confessi sunt (9); qui ob veram, non fictam contumaciam damnati sunt; denique illi contra qnos tres conformes sententiæ latæ sunt, licet nunc iuxta ius antiquissimum, duæ sententiæ conformes rem iudicatam efficiant. Similiter non datur appellatio in manifestis sive notoriis (10), in iudiciis remota appellatione actis (11), in causis

(8) C. 20. *de offic. et potest. delegat.* ibique Glossa verb. *recessum*.
(9) Cap. 3. §. *si autem* h. t. in 6.
(10) Cit. Cap. 3. §. *si autem* h. t. in 6.
(11) Per clausulam *remota appellatione*, quam solus Supremus Princeps potest apponere, omnis appellatio, ea etiam quae justa et rationabilis esset, prohibetur. Ob istam autem clausulam Iudex non obstante appellatione sententiam exequitur, illius acta per se valent, et posterius rescriptum non praevalet priori, nisi prioris cum clausula mentionem faciat. Appellatio tamen quoad effectum devolutivum valet, quia Iudex superior potest de sententiae justitia cognoscere, et etiam rescindere si foret iniusta. Animadvertendum vero, in iis omnibus generatim in quibus jura simpliciter appellationem concedunt, licet dictae clausulae non meminerint, appellationem dari, dicta clausula non obstante.

modicæ summæ, a sententiæ executione, nisi ille quem tenere oportebat modus superatus fuerit (12), in causis disciplinæ, et emendationis morum, nisi ea res præter modum acta sit (13).

Ad appellationem rite perficiendam pertinent legitima quædam tempora, quæ vulgo *fatales* dies nuncupantur; quoniam eorum lapsu, quasi fato quodam, appellatio perimitur. Ea tempora quatuor numero sunt. Primum est tempus interponendi appellationem; alterum petendi, atque accipiendi libellos dimissorios; tertium introducendæ appellationis apud Iudicem superiorem; quartum denique tempus est, intra quod litigator prosequi, ac finire appellationem debet.

Interponendæ appellationis decem dierum tempus a die cognitæ sententiæ incohandum Iustinianeo Iure constitutum probavit Innocentius III., et tum in extraiudiciali, quam in iudiciali appellatione servandum esse Cap. 8. hoc Titulo in VI. præcepit Bonifacius VIII. Quare illud in extraiudiciali appellatione ab ipso cognito actu desumitur, ex quo damnum illatum est, vel impendet.

Post interpositam appellationem literæ dandæ sunt ab eo Iudice, *a quo* appellatum est, ad eum *ad quem* novum iudicium devolvitur, quod *secundæ*, *tertiæ* instantiæ iudicium vocant. Eæ literæ dicun-

(12) *C.* 15. *de sentent. et re iud.*
(13) *C.* 13. *de Offi. iudic. ordin.*

tur *Apostoli* seu *dimissoriæ*, suntque apud iudicem *ad quem* interpositæ appellationis testes. Petendorum Apostolorum tempus triginta dierum spatio a lata sententia (ut sonant verba legum) iure communi concluditur (14). Numerantur autem plures Apostolorum species, quas omittimus, quoniam nunc fere nullus est huiusmodi literarum usus, ac per libellum appellationis in actis exhibitum appellatio interponitur.

De tempore vero intra quod adeundus est appellationis iudex, nihil certi a Decretalibus definitur, adeo ut tota res ab arbitrio *iudicis a quo* pendere videatur. Exhibitis vero superiori iudici literis dimissoriis vel aliis, quæ Apostolorum loco sint, appellans instat, ut citato ad certum terminum adversario, appellatio recipiatur, et suspendatur inferioris iudicis iurisdictio.

Denique prosequendæ, ac finiendæ appellationis tempus est annus unus, atque ex iusta causa etiam alter. Qua in re iuris civilis, et canonici magna consensio est: illiusque temporis initium iure canonico ab interposita appellatione repetitur: quod etiam civilis fori usu receptum est.

Appellatio legitime interposita per se iurisdictionem suspendit iudicis inferioris, ita ut quidquid interim ab eo fit (exceptis quibusdam casibus) tan-

(14) Cap. 6. *h. t. in* 6.

quam *attentatum* irritum haberi, et revocari debeat, causamque devolvit ad superiorem, qui appellatus est (15). Itaque in exceptis casibus sententiæ, a quibus appellatur, *devolutivum* tantum effectum, ceteræ vero omnes *suspensivum*, simul et *devolutivum* habere dicuntur.

Iure communi exceptæ causæ, nempe illæ in quibus per appellationem non suspenditur (16) executio sententiæ, ad alimenta præstanda, ad restitutionem spolii, ad momentaneam possessionem, e ad censuras pertinent. Itemque ad eas, quæ de emendatione morum sunt, uti supra dictum est, vel a Concilio Tridentino clausulam habent appositam *appellatione remota* (17).

Præterea ex eo quod ad superiorem iudicem interponenda sit appellatio, concluditur: 1. absurdum esse appellare ad iudicem, qui nec extat, nec scitur quando an vel unquam sit extiturus (18). 2. Tri-

(15) Cap. 7, *de Appellat. in 6*.

(16) Benedictus XIV. in Constitutione *Ad militantis* 30 *Martii* 1742, in multis casibus prohibet concedi appellationes cum inhibitione *in suspensivo*, non obstante quacumque contraria consuetudine vel privilegio, sub poena nullitatis actorum; et praecipue a decretis, quorum executio a Tridentino demandata est locorum Ordinariis, etiam ut Sedis Apostolicae delegatis, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita; et etiam a decretis tam in visitatione, quam extra circa divinum cultum conservandum, vel Missae celebrationem; insuper a decretis circa curam animarum, et Sacramentorum administrationem, aliaque parochialia munera, etiam quoad exemptos tam saeculares quam regulares, et ab aliis quamplurimis, ut videre est in citata bulla.

(17) Vid. Bened. XIV. in cit. Const. *Ad militantis*.

(18) Ab iudice Supremo nulla conceditur appellatio cum ipse non

bunal iudicis *a quo* a tribunali iudicis *ad quem* esse debere distinctum. Unde a Vicario Foraneo ad Episcopum rite appellatur; a Vicario vero Generali, aut Officiali Episcopi ad hunc ipsum non item. 3. Et illud inde patet, quod sicut Romanus Pontifex *iudicat omnes*, et eiusdem tiaræ (uti aiebat S. Bernardus) pretiosior gemma est oppressos sublevare ac reficere, ita nullorum se inferiorum Antistitum, quacumque ii tandem dignitate præfulgeant, iudicio idem subsit. Qua de re præter Canones 16, et 17. *Caus. IX. Q.* 3. laudari solitos tot testimonia congeri possunt sane locupletissima, ut in Romani Pontificis primatum rebelles eorum numero, et auctoritate obruantur.

Verum ne iurisdictionis ordo turbetur statutum est, ut ad *proxime* superiorem iudicem gradatim appelletur (19) excepta B. Petri Cathedra, ad quam,

habeat superiorem; quare a Pontifice Summo appellari non potest ne ad Generale quidem Concilium, imo sic appellantes ipso facto incurrunt excommunicationem latae sententiae Papae reservatam; et huiusmodi appellationes saepe prohibitae fuerunt praesertim a Martino V., Pio II., et Iulio II. *Vid. VII. Decretalium Petri Matthaei hoc. Tit.* Ne appellari quidem potest a Papa male informato ad eumdem bene informatum, ut aiunt; sed si Romani Pontificis sententia esset in melius reformanda, supplicatione opus est, et in integrum restitutione. Non datur etiam appellatio a sententiis Concilii Generalis Capiti suo coniuncti, vel totius Sacri Collegii Cardinalium, nec a Rota Romana, nec a supremis tribunalibus Principum.

(19) In Ecclesiasticis rebus ab Episcopo appellatur ad Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, et tandem ad Apostolicam Sedem, ubi ex concessione plurium Pontificum Auditor Camerae Apostolicae est omnium appellationum ordinarius Iudex; exceptis causis beneficiariis, matrimonialibus, et quibusdam aliis, quarum cognitio ad Signaturam justitiae, et Sacrae Rotae Auditores perti-

veluti ad tutissimum nostræ Religionis portum *omisso medio* licet confugere. Quin imo vel ipsa peregrinatio Romam versus, a Clerico intra decendium a sententia proprii præsulis suscepta, appellationis loco censetur, de qua est Titulus 29. *Lib. 2. de Clericis peregrinantibus*.

TITULUS XXIII.

De in integrum Restitutione. T. 41. L. 1.

Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet restitutionis in integrum, per quam omnia in antiquum statum restituuntur. Definitur autem *in integrum restitutio a* Paulo IC. *reintegrandæ rei, vel causæ actio*. Datur hoc remedium extra ordinem, ut subsidio sit iis, quibus aliæ desunt actiones, per quas ius suum consequantur. Quare cum actus ipso iure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio dari non solet.

Nec temere, ac sine delectu, sed tantum iustis de causis in integrum restitutio conceditur. Maiores XXV. annis non restituuntur, nisi demonstrata

net; sic etiam in religiosis ordinibus a Prelato loci appellatur ad Provincialem; deinde ad Generalem; tum ad Protectorem, et ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis praepositam; tandem ad Apostolicam Sedem. A delegato vero, dummodo delegatus non sit ad universitatem causarum, appellatur ad delegantem, vel eius in officio successorem.

causa læsionis, quæ culpa vacet: qualis est dolus alterius, causa metus, alienatio iudicii mutandi causa facta, absentia, aut iustus error, denique si qua alia iudici iusta causa videatur. Minores annis XXV. propter lubricam ætatem, probata læsione, restituuntur; modo restitutio petatur intra quadriennium a tempore, quo minores esse desinunt.

Exemplo minorum, etiam Universitates habent in integrum restitutionem: similiter et Ecclesia eodem beneficio fruitur (1). Nomine autem Ecclesiæ Iuris consultorum sententia, et usu fori omnia corpora Ecclesiastica, monasteria, domus religiosæ, academiæ, hospitalia comprehenduntur. Restituitur Ecclesia, si detrimentum accepit, eaque restitutionem petat intra quadriennium, postquam illud pertulit; modo ab initio propter dolum, vim, metum, aut aliud iustum impedimentum ius suum persequi non potuerit (2); et vero restituitur ubicumque sit læsa, etiam propter negligentiam Procuratoris, qui eius iura, et documenta non protulit; contra confessionem sibi noxiam (3); contra lapsum fatalium; non solum contra laicum, sed etiam contra aliam Ecclesiam, quæ intulit detrimentum.

Datur in integrum restitutio etiam contra sententiam Principis, aut Summi Pontificis. Datur præte-

(1) C. 2. *h. T. in 6.* Clem. *unic. eod.*
(2) C. 1. *h. T. in 6.*
(3) C. 2. *h. T. in 6.*

rea tam in iudicio, quam extra iudicium, cum quis ex aliquo facto, aut contractu læsus est (4). Semel denegata non amplius conceditur, præterquam ad appellationem omissam; nisi deinceps nova prodierint monumenta, quorum gratia tribuenda videatur. Debet autem restitutio ab eo iudice peti, cui subest is, contra quem petitur. Minor tamen Magistratus non potest contra sententiam maioris, licet idem restituat contra sententiam propriam. At adversus sententiam delegati a Principe restituit solus Princeps, qui et solus quoque potest adversus propriam sententiam restituere. Sed ad forum civile quod attinet, consulendæ sunt propriæ cuiusvis Regni leges, quibus iura et officia Magistratuum constituuntur.

(4) Animadvertere hoc loco mihi liceat, quod venditor laesus in pretio ultra dimidium, habet legis remedium, quo agere potest vel ad iustum pretium supplendum, vel ad venditionis rescissionem, prout laeso placuerit; quod ab jure canonico firmatum est. Licet Ius Civile, *Leg. Rem maioris pretii 2. Cod. de rescind. vendit.* de venditore tantum expresse loquatur, tamen ob rationis identitatem, et naturalem aequitatem etiam de emptore laeso ultra dimidium intelligi debet. Venditor enim, et emptor sunt correlativa et aequiparata; et quod pro uno disponitur, pro alio quoque dispositum esse censendum. Laesionis autem computatio in venditore et emptore probabilius videtur aequaliter debere fieri relate ad pretium; ut si pretium ultra dimidium rei valorem excedat, laesus ultra dimidium emptor dicatur; videlicet si pro praedio quod valet 100, dederit 151. Alii vero computationem in emptorem desumunt a re vendita, ita ut res nec medio pretio valeat; nempe si emptor dederit 201, pro praedio, quod valet 100. Probabilior et aequior opinio ea quam priori loco diximus esse videtur, et inter venditorem et emptorem aequalitatem observat. Minoribus, et Ecclesiis notabiliter laesis, quamvis non infra dimidium, salva est in integrum restitutio.

Petita in integrum restitutione omnia in suo statu manere debent, donec res finita fuerit; et ideo latæ sententiæ executio suspenditur, perinde ac appellatio interposita fuisset. Ea vero inde impetrata, omnia ad pristinum statum vocantur, læsio removetur, et quæ sua sunt, unusquisque recuperat. Nam restitutio prodest non tantum illi, qui eam impetrat, sed etiam illi, contra quem conceditur quoniam utrique suum tribuendum est. Sed qui rem recuperat, solvere debet impensas, quas alter in rem fecit (5).

Ad restitutionem in integrum accedit *Revisio*, nempe remedium, quo cum quis iniuste sibi damnum illatum a sententia putet, quæ non admittit appellationem, per supplicem libellum a Principe vel Papa obtinet, ut causa illa recognoscatur, ac si opus sit, reformetur sententia. Eiusdem autem fere generis sunt quæ ab iuris nostri Peritis *Supplicationes*, *Reformationes*, aliisque huiusmodi nominibus vocantur (6).

TITULUS XXIV.

De Pactis, et Transactionibus. Tit. 35, et 36. Lib. I.

Quot sint litium formulæ, et ambages iam satis

(5) *C. XI. de Reb. Eccles. alien.*
(6) Vid. Wan-Espen *Iur. Eccl. Un. P. III. T. 10. Cap. 4.*

vidimus: quot vero, quantaque ex earum æxtu, et immortalitate in Rempublicam redundent incommoda, quot necessarii sint sumptus per se quisque facile intelligit, atque experientia docet. His itaque optime occurritur per pacta, et transactiones.

Nos hic non de pactis universe, ne in iis, quæ perspecta esse vobis debent ex Institutionibus civilis iuris, vos frustra detineamus; sed de *liberatoriis* tantum agimus, quibus lix extinguitur.

Pacti liberatorii vis in eo posita erat, ut exceptionem pacti conventi, vel doli pareret; sed iure canonico cautum et provisum est, ut pacta diligenter observentur, adhibita etiam, ubi opus fuerit, iudicis auctoritate; modo pactum honestum, licitum, possibile sit, ius tertii non lædat (1), fiatque ab iis, qui paciscendi obtinent potestatem.

Pacta quæ sacris Canonibus nominatim improbantur, sunt pactum de beneficio Ecclesiastico pecunia, aut alia re pretio æstimari solita resignando; de concedenda Ecclesia ea lege, ut post obitum provisi, alius iam designatus succedat; de solvenda graviori pensione, ut quis facilius Ecclesiam obtineat; pactum quo monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem Ecclesiæ parochialis.

Cætera pacta, quæ non bonis moribus adversan-

(1) Cap. 2. *de pactis in 6.*

tur, non res impossibiles, turpesve continent, non in animæ detrimentum vergunt, postremo, quibus nihil iure obstat, custodienda, observandaque diligenter sunt. Hinc privilegiis etiam, quæ privatim sua, et propria sunt, abdicare se unusquisque potest (2); valetque pactum iuratum (3) quo mulier, cum nubit, accepta dote promittit, se nihil amplius ex paterna hæreditate petituram (4).

Sed litium dirimendarum causa plerumque utimur *transactione*, quæ species quædam est pacti, et interdum etiam pacti nomine appellatur. Proprie transactio initur de re dubia, ac lite incerta; atque aliquid datur, aut promittitur, ut litigantium alter litem deserat. Pactum autem pertinet ad res certas, atque ut plurimum nihil accepto, aut promisso conficitur.

Porro hæc duo in transactione omnino sunt necessaria, ut scilicet detur aliquid, aut aliquid promittatur (5), utque de re dubia fiat. Nam promis-

(2) Cap. 1. *de pactis in 6.*

(3) Pacta a jure civili reprobata et irrita per iuramentum convalidantur, dummodo bonis moribus, publico bono, et juri tertii non adversentur; ita Cap. *Cum contingat* 28. *de jur. jurand.* ubi praecipiuntur servari *juramenta sine vi*, *et dolo praestita*, *quae in alterius praejudicium non redundant*, *nec observata vergunt in dispendium salutis aeternae.* Et ita in utroque foro judicandum esse decernit Bonifacius VIII. Cap. 2. de jur. jurand. in VI.

(4) Cap. 2. *de pactis in 6.*

(5) Nuda promissio, si acceptata non est, potest pro voluntate promittentis revocari; non solum si interna sit, sed etiam si externa facta praesenti. Ad promissionem enim, ut obligationem inducat, mutuus certe consensus requiritur. *Leg. I.* §. 3. *ff. hoc tit.* Neque pro consensu haberi debet taciturnitas sola, nisi a-

so, datove nihil, itemque de re certa transactio fieri non potest. Hinc etiam post sententiam recte transigimus, quia adhuc incertus est litis exitus, sed non etiam post rem iudicatam, et cum procul est omnis litis redintegrandæ metus. Sed quemadmodum iure Romano transactio super re iudicata firmabatur, cum per Aquilianam stipulationem, et acceptilationem ius ex re iudicata quæsitum ipso iure perimebatur, et gratuitum probabatur super re iudicata pactum tamquam liberatorium, et donationis causa conceptum, ita moribus receptum est, valere transactiones, quæ super negotio ex re iudicata certo initæ sunt.

Transactionis magnus in iure favor, et auctoritas est. Nam ea mutuæ transigentium renunciationis vim habet; quo fit ut omnia eorum iura tollantur, pariatque litis finitæ exceptionem (6), imo et actionem iure Canonico, quod civilis iuris subtilitates negligit: eaque bona fide semel inita, atque ex non falsis instrumentis, ne si nova quidem deinceps prodeant monumenta, e medio tollenda sit, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit (7).

liud ex circumstantiis, et exterioribus signis colligatur. Aliter vero dicendum est de voto; promissio enim Deo facta per votum, vel juramentum statim ab ipso acceptatur, si est licita; uti etiam promissio facta Civitati et Reipublicae ob certam causam, verb. grat. pro aedibus reficiendis, ab ipso jure Civitatis consensum supplente statim acceptatur; ideoque vim pacti habet obligatorii ex natura- li jure.

(6) Cap. 1. *de Lit. contest. in 6.*

(7) Cap. 1. h. T.

Transigere omnes possunt, qui pacisci, et alienare; nam transactio alienatio est. Hinc minores, pupilli, amentes, cæteri similes, qui res suas alienare nequeunt, etiam transigere prohibentur; et Prælati, qui sine certis solemnitatibus res Ecclesiæ alienare non possunt, easdem quoque solemnitates in transactione servare debent. Quod dicendum generatim est de omnibus, qui res habent ad Ecclesiæ patrimonium pertinentes, uti sunt beneficia, decimæ, cætera similia, de quibus si fiat transactio sine debitis solemnitatibus, obligare quidem poterit, qui eam absolvit, successores vero non obligat, neque aliquid Ecclesiæ rebus infert detrimenti.

Sed neque de rebus omnibus transigere fas est. Nam ius Canonicum transactionem fieri vetat de Ecclesiasticis beneficiis, in quibus omnis non gratuita pactio turpis habetur, planeque reiicitur, sed tamen in iis admittitur, nullo tamen interveniente pretio, amicabilis compositio; item de iurepatronatus, quod accepta pecunia in alium conferri non potest. Sponsalia de futuro transactionem non respuunt; quoniam mutuo consensu dissolvi possunt; sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est.

Finis Libri Tertii.

LIBER IV.

TITULUS PRIMUS

De Criminali Ecclesiæ Iurisdictione.

Postremam Institutionum nostrarum partem, nempe Criminalia Iudicia persequimur; sed pauca primum de ipsa criminali Ecclesiæ iurisdictione præstat animadvertere.

Ecclesiæ Rectores a Christo generalem potestatem accepisse iudicandi, ac puniendi crimina contra leges Religionis admissa (1), ab iisque absolvendi Catholicus quisque profitetur. Si tamen delinquentes iuxta divinarum legum mentem, sacrorumque canonum consilium plectere debent, ut eorumdem imprimis emendationem, spiritualemque omnium fidelium salutem præ oculis habeant. Hinc non ut civilis Respublica gladio armata, flagrisque Ecclesia terrere ex proprio instituto consuevit reos;

(1) Potestatem infligendi poenas a Christo accepit Ecclesia; quod verbis et factis Apostoli ostenderunt, et Apostolorum exemplo Episcopi eamdem semper exercuerunt auctoritatem. Criminalia vero judicia apud Episcopos, eodem fere ritu, quem Romanae Leges constituerunt, expediri consuevere. Cunctas sane civilium judiciorum non fuisse adhibitas solemnitates plane constat; sed nonnullae saltem praecipuae observatae diligenter fuere, quod late prosequitur et demonstrat Cl. Ioannes Devoti *Inst. Can. Libr*. 4. *Tit* 1. Recole quae in Prolegomenis *Cap*. 1. et in Tit. *de Poenit*. disseruimus.

cum eos Dominus, inquit Chrysostomus, *æterna corona donet non qui coacte, sed qui spontanee* iustitiam, ac pietatem colunt. Quamobrem primi quidem Episcopi, Apostolorum exempla sequuti, ut populi Christiani patres, atque pastores, non ut percussores (2) a recta via devios lenitate in bonum tramitem revocare studebant; sin autem di obtinere non poterant, ne putridum aut vitiosum in Ecclesia membrum cætera inficeret sacro imperio, et spirituali gladio ab ipsius corpore illud resecabant: habebantque tamquam ethnicum, et publicanum, uti Christus ipse præceperat.

Sed deinde in *Foro* Ecclesiæ *externo* sæcularium processuum formulæ, ac poenæ quoque nonnunquam adoptatæ fuerunt (3): criminalesque fidelium causæ ita distinctæ, ut non secus ac in civilibus iudiciis vel *Ecclesiasticæ*, vel *Civiles*, vel *Mistæ* dicerentur.

Cum tamen in *Foro interno* vel poenitentiali vetus servata sit disciplina, sine strepitu, et figura iudicii (externi scilicet) procedendi; et istiusmodi cognitio sæcularium tribunalium iudicia minime impediat, imo vero ipsi Reipublicæ expediat maxime; proinde ibidem ius de cunctis criminibus, quæ animæ salutem lædunt iudicandi, ac salutares iniungendi poenitentias integrum sacris ministris

(2) Vide cedro dignum Decretum de *Ref.* Cap. 1. Ses. 13. Trid.
(3) Vid. Cap. 18. etc. de *haeret.*, et Cap. 5. *de poen.* in VI.

permansit, in externo non item, si eas regiones excipias, in quibus idem est Episcopus, idemque simul summus Princeps, aut Imperans.

Stent tamen duo hæc, alterum *omnem inobedientiam*, docente Paulo Apostolo, vindicari posse ab Ecclesiæ Rectoribus, et quidem ea iudicii forma, quam is indicat ad Timoth. C. 5. scribens = *Accusationem adversus Presbyterum noli recipere, nisi duobus, vel tribus testibus* =; iisdemque poenis quibus adversus Corinthium incesti reum, et in Alexandrum, atque Hymenæum in fide naufragos idem Apostolus usus legitur; alterum vero fieri nullo modo posse, ut exinde quidquam civilis Respublica detrimenti capiat, si Ecclesiastica criminalis Iurisdictio suis limitibus contineatur. Nos tamen quæ cuique crimini statutæ sunt iure communi poenæ suis locis indiscriminatim innuemus (4).

Nunc ad crimina ipsa accedamus.

TITULUS II.

De criminibus generatim.

Crimen, seu delictum a *peccato* ita distinguunt cum sanctis DD. Augustino, et Thoma nostri Iuris interpretes, ut peccatum latius pateat, cogitationem-

(4) Vid. Caput *Cum non ab homine* x. de Iudiciis.

que ipsam violandi legem complectatur; crimen vero sit = *externa quævis libera, et voluntaria legis cuiuscumque cognitæ, ad quam observandam quis obligatur, violatio* =. Huc igitur referenda est *imputabilitatis actionum*, ut vocant, doctrina, quæ traditur tam a Philosophis, quam ab Ethices Christianæ scriptoribus.

Hinc sicuti uno eodemque actu, et alicui nocere et plures simul leges violare quis potest; ita unius criminis reus primo ad refectionem damni, si quod intulerit obligatur, id suadente natura, iuxta celeberrimam Iuris Regulam 4 in VI. = *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum* =: deinde pluribus poenis fit obnoxius pro modo potestatis uniuscuiusque Legislatoris, idest tam civilibus, ac temporalibus, quam spiritualibus et Ecclesiæ propriis.

Et quoniam nullum excogitari potest crimen, quod Decalogi præceptis non adversetur: ille vero duas in tabulas distinguitur, quarum altera Deum, et Religionem stricte sumptam respicit, altera vero officia hominis in homines præcipit, quos ut nosmetipsos iubemur diligere, prohibetque contraria; idcirco primum de criminibus contra priorem tabulam dicemus, tum cætera, quæ contra tabulam alteram perpetrantur breviter explanabimus (1).

(1) Tabulis ad res varias et multas veteres utebantur. Aliquando usurpabatur pro instrumento in quo scribebant. Nemo enim ignorat plerumque solitos fuisse scribere in ligneis tabulis cera ob-

Qua quidem in tractatione ordinem fere ipsum Libri V. Decretalium, quantum patitur perspicuitas, consectabimur: verum sub uno Titulo plures Gregorianæ Compilationis Titulos sæpe complectemur.

Sunt etiam delicta quædam Laicis pariter, atque Clericis *communia*, et quæ Clericorum, vel Regularium *propria* sunt, quippe quæ peculiaribus eorum vitæ institutis adversantur. Verum in communibus dumtaxat immorabimur; siquidem propria de vita, et honestate Clericorum, et de Regularibus agentes satis exposuimus.

TITULUS III.

De Apostasia, *Hæresi*, et *Schismate*. *De Apostatis etc.* Tit. 9. *De Hæreticis* Tit. 7. *De Schismaticis etc.* Tit. 8. L. V.

Apostasiæ vox discessionem, desertionemque significat, unde Apostata idem est ac desertor. Apostasia autem quadruplex distinguitur, a Fide nimirum, ab Ordine, a Religione, quibus adiungitur ea quæ vocatur inobedientiæ.

ductis, vel ex aere confectis. Quod ad rem nostram pertinet observandum, in tabulis ex aere Romanos leges scribere consuevisse. Hinc celeberrimae sunt duodecim Tabulae, idest leges duodecim Tabularum quas Romani ab Atheniensibus, aliisque Graecorum Civitatibus acceperunt. Haec tamen consuetudo fuisse etiam antiquior, et apud alias Gentes communis, ex variis Scripturarum locis colligi posse videtur, et praecipue apud Hebraeos quibus in duabus tabulis exculpta Lex tradita fuit.

A Fide seu *perfidiæ* Apostasia dicitur omnimoda fidei, ac Religionis christianæ desertio, vel ad Hebræos, aut Gentiles discessio: quod procul dubio est omnium criminum maximum, atque gravissimum. Huiusmodi Apostatas *lapsos* dixit antiquitas (1), quos tres in classes dispescuit *thurificatos* scilicet, *sacrificatos* et *libellaticos*; in quibus puniendis pro modo criminis quis Ecclesiæ prudentiam, gravitatemque non admiretur (2)? *Apostasia* ab ordine vocatur cum quis in sacris constitutus Clericus clericalem vestem abiicens laicorum vitam ducit. *Apo-*

(1) Qui imitabantur superstitiosos gentium ritus vel adiuvabant inter Apostatas numerabantur primis Ecclesiae Saeculis. Etenim erant quodammodo susceptae Christianae Religionis proditores. Tales habebantur qui Flaminis, idest Ethnici Sacerdotis munus in se recipiebant; Flaminis enim munus erat Populo exhibere ludos, et spectacula, quae in Deorum cultum edebantur. Similiter Scenici, Histriones, Aurigae, qui in publicis spectaculis currus agebant, tamquam fautores idololatriae habebantur; Theatrum enim, et publici ludi partes erant pompae, et cultus Satanae, cui Christiani renuntiaverant in baptismo. Etiam idolorum artifices eodem adstringebantur crimine, et qui aedificabant, vel ornabant gentium Aras, et qui victimas, et thus ad idololatriae usum vendebant, eorum criminis perticipes merito habebantur. Videndi sunt hac de re antiquissimi Canones nempe 62. Concilii Eliberitani an. 305. et 5. Concilii Arelatensis an. 314.

(2) Non erit ab instituto alienum hic commemorare decretum approbatum ab Urbano VIII. an. 1630. circa apostatas a fide, qui poenitentia ducti in sinum Catholicae Ecclesiae volunt redire. In illo decreto statutum est Apostatas a fide redeuntes ad poenitentiam non teneri ad abiurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere ut eam abiurent in balneo (puta si fuerint inter Turcas) coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, et deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit equivocus, posse illum deferre; quod si ex illa delatione, ratione personae aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere cum primum poterint. Vid. *Benedictum XIV. de Syn. Dioeces. Lib.* 13. *Cap.* 20. *n.* 18.

stata a *Religione* habetur, qui ab eo, quod legitimè professus est, instituto regulari sine animo redeundi ex proprio arbitrio discedit. *Inobedientiæ* demum apostasia est cum quis legitimo superiori pertinaci voluntate obtemperare detrectat, atque hæc facile abit in schisma, de quo mox.

Hæresis dicitur ab αἱρέομαι sive *seligo*: quia hæreticus non quam accepit ab Ecclesiæ auctoritate, sed quam suo ex ingenio sibi confinxit sententiam profitetur (3). *Est igitur hæresis falsa et pertinax contra catholicam fidem opinio.* Non enim est hæreticus qui conscius, et admonitus erroris paratus est mutare sententiam (4). Item cum Ecclesia

(3) Haereticorum libros legere prohibitum esse sciunt omnes, et quidem sub excommunicationis poena, quae Pontifici est reservata; imo ex Constitutione Iulii III. *Cum meditatio*, ne sufficit quidem eos privata auctoritate dare flammis, sed debent Episcopis tradi. Revera semper Ecclesia hac usa est potestate, ut ex Ecclesiastica historia patet. In Concilio Nicaeno Patres damnarunt Arii libros, eosque comburendos decreverunt. Patres Ephesini Concilii e fidelium manibus scripta Nestorii, et Chalcedonensis libros Euthichetis praeripere studuerunt. Sanctus Leo Magnus Manicheorum libros Romae combussit; quod fecerunt etiam Symmacus, et Hormisda. Nicolaus I. noxios, blasphemosque Saracenorum libros igni tradendos constituit, et ut caetera mittam, Romanum Concilium, et Constantiense igni tradidere Ioannis Hus, atque Wicleffi libros. Qui nescit Indicem librorum prohibitorum auctoritate Concilii Tridentini confectum? Quin etiam apud Ethnicos in more positum fuisse ut impii, noxiique libri damnarentur exploratum est. Constat enim ex Laertio Graecos jussisse in foro comburi libros Protagorae, atque apud Valerium Maximum *lib. I. Cap. I.* Livium *Lib. 9. decad.* IV. aliosque legimus pluries in Romana Republica libros fuisse combustos, qui homines vel a divino cultu avocarent, vel ad superstitionem, quam ipsi pravam existimarent, provocassent.

(4) Can. *haeresis* C. 24. Q. 3. et al.

sit doctrinæ fidei interpres, et iudex, non est hæresis ubi desit Ecclesiæ iudicium (5).

Schisma, quæ græca vox divisionem, ac scissuram exprimit, est « *a communione totius Ecclesiæ, vel ab eius legitimo Capite Rom. Pontifice voluntaria, et contumax divisio* ». Hic enim de generali tantum schismate loquimur, quo Ecclesiæ catholicæ unitas abrumpitur. Ac si purum simplexve sit ecclesiasticam tantum evertit hierarchiam; si vero cum hæresi coniungatur, fidem etiam lædit (6).

(5) Disputare de fide cum Haereticis propria auctoritate, ne Clericis quidem licet. Can. *Cum quibus* 36. *Caus.* 24. *qu.* 3. Nam si indocti sunt se errandi periculo exponunt, aliisque scandalum praebendi cum religionis detrimento; si vero docti sint parum disputando proficiunt, cum haeretici plerumque sint pertinaces. Laicis vero eiusmodi disputatio sub excommunicationis ferendae sententiae poena prohibetur *Cap.* 1. §. 2. *hoc tit. in VI.* ubi jus non distinguit inter Laicos doctos et indoctos. Haec poena excommunicationis tamen ad Clericos non extendenda est. Attamen si haereticus vellet Catholicum pervertere; debet ei praesens Clericus, vel doctus Laicus contradicendo resistere.

(6) Plurima in Ecclesiastica historia numerantur Schismata; sed maximum illud fuit quod inter Graecos Latinosque erupit sub finem Saeculi IX. agente Photio Pseudo-Patriarcha Costantinopolitano, et Saeculo undecimo Michael Cerularius Constantinopolitanus Patriarcha perfecit. Ad animos conciliandos varia coacta fuere Concilia, et praesertim Lateranense IV. Generale sub Innocentio III. an. 1215. in quo Patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolymitanus cum aliis non paucis Graecae Ecclesiae Praesulibus ad concordiam rediere cum Latinis. Actum est idem in Generali Concilio Lugdunensi II an. 1274. et in generali Concilio Florentino an. 1439; cui interfuere Summus Pontifex Eugenius IV., Ioannes Paleologus Graecorum Imperator, cum Patriarcha Constantinopolitano, et aliis multis Graecis, qui omnes latinae Ecclesiae consenserunt, uno fere excepto Marco Ephesino, qui ad suos reversus animos ab inito foedere revocavit. Hoc schisma ab eo tempore adhuc perdurat, et cum haeresi coniunctum est, ea praesertim de causa, quod Graeci Schismatici negant, *Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere*, quod tenuit semper, et tenet Catholica Ec-

Pœnæ contra perfidiæ apostatas, et hæreticos sancitæ sunt: major excommunicatio latæ sententiæ, Rom. Pontifici nunc reservata, si occulta sit hæresis dummodo externa (7), et exclusio a quovis officio, et beneficio ecclesiastico. Postrema hæc poena non solum ipsis inhæret delinquentibus, sed etiam eorum filiis, et descendentibus, iuxta ea, quæ alibi diximus, eorumque fautoribus, ac defensoribus. Præterea temporales pœnæ Apostatis, hæreticisque a civilibus primum legum latoribus inflictæ, a sacris postea canonibus confirmatæ fuere: cuiusmodi sunt infamia, bonorum confiscatio, quæ si laici sint Fisco, si vero clerici Ecclesiæ applicantur; patriæ dominicæque potestatis amissio. Imo ii nec testamenta facere, nec ab aliis hæredes institui possunt; et nonnullis casibus pœna etiam plectuntur capitali (8) per civiles leges.

Quas poenas effugiet hæreticus, si errore agnito eum retractare velit, et abiurare, subiiciens se pœnitentiæ ab Ecclesia imponendæ (9): nisi post impetratam veniam in hæresim sive eamdem, sive aliam relabatur (10): ita ut pro *relapso* habeatur;

clesia, et pluries in citatis Conciliis, et praecipue in Florentino fassi sunt ipsimet Graeci.

(7) Vid. Bened. XIV. de Syn. Lib. IV. Cap. I.

(8) Vid. in Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. 5. et seq. cum Commentar. Iacobi Gothofr. Iustin. Novel. 42. 45. 109. 129. 132. 144. Clement. h. T.

(9) Cap. *Statuimus de haeret. in VI.*

(10) Cap. *Accusatus* §. 1. *eod.*

uti sunt non modo qui confessi, vel convicti, sed et qui ex gravi suspicione hæresim abiurarunt, et ad eam postea redierunt. Hi enim novam frustra veniam deprecantur; sed sœcularis iudicis punitioni traduntur, concessis tamen iis pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramentis (11).

Schismatici, si hæresim schismati adiiciant, iisdem ac hæretici pœnis subiiciuntur; *puri* autem simplicesve schismatici anathemate puniri, cunctis Ecclesiæ dignitatibus, beneficiis, et iurisdictione spoliari, aliisque pro vario criminis gradu pœnis multari solent.

Advertendum autem, quod ob maxime auctum hæreticorum, et schismaticorum numerum post editum Corpus Iuris Canonici, pro bono pacis ab Ecclesia, Catholicisque Principibus ii tolerantur (12). Ideo expositarum similiumque pœnarum temporalium executio, quoad toleratos istiusmodi, qui ab hæreticis, aut schismaticis orti, paternam adhuc hæresim, vel schisma sequuntur, minime urgeri solet.

(11) Cap. *Ad abolendam* §. *illos quoq. etc.* Cap. supra 10. eod.

(12) Notanda sunt verba Benedicti XIV. de Synod. dioeces. *Lib. 6. Cap. 5.*, hac de re „ quamvis iuxta praesentem disciplinam, ait ille, inductam a Martino V. in celebr. Extravag, *Ad evitanda* liceat Catholicis cum haereticis, modo non sint expresse, et nominatim denuntiati, libere conversari, et cum iisdem communicare in rebus mere profanis, et civilibus; non idcirco tamen arbitrari debent Catholici fas quoque sibi esse cum iisdem haereticis consortium habere etiam in rebus sacris, et divinis „ et post rationes quas affert concludit „ vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia Catholicorum cum haereticis communicatio in divinis „ .

Sed contra novos hæreticos, schismaticos, vel apostatas ecclesiasticis, laicisve iudicibus denunciatos eædem etiamnum pœnæ vigent.

Ab Ordine autem Apostata infamia punitur, et post tertiam monitionem privilegiorum *Canonis*, et *Fori* amissione, aliisque pro criminis, et pertinaciæ gradu pœnis (13), quarum præcipua est excommunicatio, si temere nubat. Clem. un. *de Consang. et affin.* Similia sunt de apostasia inobedientiæ dicenda (14).

Apostatæ vero a Religione irregulares fiunt, ita ut nec redeuntes ad monasteria susceptos in apostasia ordines exercere possint; ac si vestem dimiserint regularem, excommunicatione ac privilegiorum Ordinis privatione plectuntur (15).

TITULUS IV.

De Blasphemia, Periurio, Sacrilegio, et Sortilegio. De Maledicis. Tit. 26. Lib. V. *De Iureiurando.* Tit. 24. Lib. II. *De Raptoribus, et Violatoribus Eccles.* T. 17. Lib. V. *De Sortilegiis.* Tit. 21. eod.

Blasphemia est quidquid in Deum, vel Sanctos

(13) Cap. 1. et 3. *de Apost.* Cap. 25. et 45. *de Sent. exc.*
(14) Can. *Si autem* 11. C. XI. Q. 3. Cap 2. *de Maiorit. et Obed.* Vid. Tit. *de Excessib. Praelat. et subd.*
(15) Trid. ses. 25. Cap. 19. *de Regular.* V. Lucium Ferraris. V. *Apostasia.*

cum eo in coelis regnantes, ac praesertim B. Virginem Dei Matrem iniuriosum dicitur, aut patratur. Eaque *apostatarum* vocari solet si quis Christi Religionem prorsus deserens ei maledicat: unde Blasphemi vocantur in iure nostro *Maledici. Haereticalis* blasphemia est dum quis opinioni adhaerens haereticae Deo tribuit, quod ipsum dedecet, illudve denegat, quod ei prorsus convenit. Est demum *simplex* blasphemia *profanorum hominum* dicta, quae iniuriam quidem, non vero apostasiam, aut haeresim continet.

Periurium est quo vel iuratur falsum, vel promittitur id quod physice aut moraliter est impossibile, vel illud non observatur, quod iureiurando promissum fuerat. In quolibet enim iuramento tria inesse debent, *Veritas, Iustitia*, et *Iudicium*. Huic affinis est mala, et a sacris literis improbata sine iusta causa iurandi consuetudo, quae ad periurium plerumque ducit.

In Deum quoque dirigitur *Sacrilegium*, Deo scilicet dicatarum rerum, vel personarum violatio, ac profanatio. Unde *Sacrilegi* sunt qui vota legitime edita, Religionis mysteria, Festa, Ritus, Ecclesias, Clericos, vel Monachos, Sanctorum imagines, aut reliquias authenticas, multoque magis Sanctissimam Eucharistiam contemnunt, aut violant.

Quamvis autem antiqui Canones singulis hisce criminibus proprias, easque gravissimas poenas tri-

buissent; nunc tamen, veteres pœnæ illæ fere omnes in desuetudinem abiere, atque istiusmodi criminum rei extraordinaria plerumque pœna pro facti varietate multantur.

Ultra limites humanis viribus a Deo præfinitos vagari conantur *Sortilegi*, aut Præstigiatores, qui ope dæmonum, vel per vanas superstitiosas artes portentosa quædam se perficere posse præsumunt(1).

Eorum autem alii *Divinatores* proprie vocantur, qui secreta quælibet aperire, vel futura præcognoscere contingentia sibi proponunt; alii *Magi* (2), qui per occultas quasdam operationes creduntur ordinarias naturæ leges evertere; alii demum *Incantatores*, qui superstitiosis quibusdam signis, aut verbis bona etiam opera quandoque peragere fingunt.

Huius quidem generis delinquentes præter infamiam, alias etiam pro delicto pœnas incurrunt, veluti Iure Canonico, si laici sint anathema; si vero

(1) Cap. 26. Q. 1. per tot. h. T. *de sortileg.*

(2) Persae vocabant Magos, quos Graeci Philosophos nominabant. Communi sermone tamen *Magus* pro *malefico*, seu *incantatore* accipitur. Nam cum Magi apud Persas potissimum cultui Deorum vacare solerent, eorum vanitas adeo postea aucta est, ut non solum observatione Syderum futura praedicere, sed artibus quibusdam et maleficiis scire se omnia et facere posse profiterentur. Contra Magos, et Hariolos extant plurima Sanctarum Scripturarum testimonia.

Clerici depositionem, et degradationem (3), ac iure civili capite plerumque damnantur (4).

Verum admodum rari hodie sunt istiusmodi criminum rei, atque ii quidem potius quam veri dæmonum familiares, aut respondentes, magicæque artis professores, vel tamquam impostores, qui simplices decipiunt, facilesque homines; vel tamquam delusi, quos propria fefellit opinio, respiciuntur. Ea propter, nisi aliunde veneficis, perniciosisve pharmacis homicidia, vel alia damna patraverint, extraordinario plerumque iudicio contra illos, prout decepti videntur, aut deceptores, mitius graviusque proceditur (5).

(3) Ab aliquibus inter crimina degradatione digna recensetur maleficium, seu sortilegium, ex quo unius aut plurium mors sequuta comprobatur ex Constitutione Gregorii XV. *Omnipotentis* 20 Martii 1623. At ut Cardinalis Albitius *De inconstantia in fide Part.* 1. *Cap.* 32. n. 150 observat, in dicta Constitutione non loquitur Pontifex de degradatione.

(4) Vid. S. Basil. Epistol. 3. ad Amphil. Can. 65. et 83., S. Gregor. Nyssen; Epist. ad Let. Can. 2. Tom. 3. Collect. Conc. Mans. L. 3. et 5. etc. Cod. *de Malefic.*

(5) Contra exercentes artem Astrologiae judiciariae, et alia quaecumque divinationum genera, librosque legentes vel retinentes, Sixtus V. die 5. januarii 1586. edidit Constitutionem, quae incipit *Caeli et Terrae Creator*. Sancita a Sixto V. approbavit, confirmavit, et innovavit Urbanus VIII. Constitutione cuius initium est *Inscrutabilis*, die 10. Aprilis 1631.

TITULUS V.

De Simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur. Tit. 3. L. 5.

Non minori contumelia quam blasphemi, aut hæretici Deum afficiunt *Simoniaci*, ita dicti a Simone Mago, quem graviter, ac vehementer, ut decebat Apostolorum Principem, a Petro increpatum fuisse novimus (1), quod ii dona Dei, ac sacra ministeria pecunia æstimant (2). Est enim *Simonia rei spiritualis, vel spirituali adnexæ cum temporali ac profana re commutatio, et turpe commercium*.

Temporalis ac profana res, quæ in hac permutatione versatur, in nostris codicibus vocatur *munus*, idque triplex est *a manu* scilicet, *a lingua*, et *ab obsequio*. *Munus a manu* est pecunia numerata, aut alia res quælibet in communi commercio posita, quæ manibus contrectetur. *Munus a lingua*

(1) Act. Apostolor. Cap. 8. V. 14.

(2) In jure Canonico Simoniacos appellari haereticos, et simoniam haeresim dici patet ex Can. *Presbyter* 1. qu. 1. C. *Patet* qu. 7. et aliis locis. Minime quidem dubitandum est proprie, et vere haereticum dicendum esse Simoniacum, qui interius crederet Spiritus Sancti donum non pluris valere, quam temporale pretium; qua in hipothesi infidelitatem cum simonia conjungeret. At generatim loquendo simoniacus profecto res sacras et donum S. Spiritus indigne tractat, tanquam vile esset quiddam et venale: Sed improprie tantum et interpretative dicendus haereticus, quatenus Spiritus S. donum vendendo exterius significat illud esse temporali pretio aestimabile, et de illo disponit tamquam de re, quae sub eius dominio sit: quod bene animadvertit D. Thomas.

constituunt preces, commendationesque, præsertim si pro indignis, et minus idoneis ad sacra ministeria fiant. *Munus ab obsequio* appellatur indebitum quodvis servitium, ac profanum officium. Hæc enim omnia æstimationem, ac temporale pretium recipiunt.

Ex tradita definitione consequitur 1. ut merito a Doctoribus Simonia distinguatur triplex, *mentalis* scilicet, *conventionalis, realis*. *Mentalis* est quæ mente ac voluntate tantum concipitur, quin unquam sacra mercandi animus extra progrediatur: ut si quis per simulationem officii Episcopo suo aliquid dono det, aut inserviat, ut ad sacros ordines imperitus, aut alias minus idoneus promoveatur: quæ Simonia cum interius lateat, non mortalem iudicem, sed Deum solum habet ultorem. Alia est *conventionalis*, quæ conventionibus, aut pactis sive expressis sive tacitis animum offerendi pretii patefecerit, etsi effectu caruerit. Alia tandem *realis* est quando ad pacta effectus accessit, quæ *incompleta* dicitur, si ex altera tantum parte rei conventæ traditio fiat, *completa* vero si res utrinque tradatur. Porro huius criminis rei sunt non modo ipsi contrahentes, sed etiam interpretes, quos *mediatores* vocant, sponsores, depositarii: ac duæ hæ postremæ species exteriori etiam iudicio vindicantur.

Secundo ex allata definitione fit consequens, ut per se simonia careant oblationes, vel a Synodis,

aut laudabili consuetudine statuta *honoraria* missarum, aliique *stolæ*, ut vocant, *fructus*, tum eodem vitio vacent Monialium dotes iuxta regulas a S. Congregatione præscriptas, tum denique sacrorum vasorum, aut realis iurispatronatus venditio, dum materia solum, et fundi, non autem Consecratio, vel Ius æstimentur: sed et interdum *redemptio vexationis* a Simonia excusabitur, qua in re S. Caroli Borromei cautionem Benedictus XIV. commendat (3).

Et quoniam axiomatis loco iamdiu receptum illud est, quod *quisquis alterum vendit, sine quo nec*

(3) *Synod. Dioeces. Lib.* 12. *Cap.* 6. Quamvis juxta sacros Canones Episcopi auctoritas necessario non requiratur, ut quis possit pecunia redimere vexationem sibi iniuste illatam, quod a sacris Canonibus permittitur, nihilominus S. Carolus Borromeus, ne quis iniustae vexationis redimendae occasione veram simoniam committeret, in Concilio Provinciali primo, nemini licere sancivit, vel quidquam solvere in beneficiali causa, vel transigere cum adversario sine consensu Episcopi ad vexationem iniustam redimendam. Ad Episcopum vero pertinere decrevit investigare, utrum vel solutio pecuniae, vel pactio inita fraude careat, et suspicione simoniae. Ut autem possit solutione pecuniae iniusta propulsari vexatio, secundum S. Thomam, et S Antoninum, nec non *Cap. Dilectus* 28. *de Simon.* ius perfectum, et absolutum *in re*, necessario requiritur. Insuper addendum puto taxatam esse quandam pecuniae quantitatem in Curia Apostolica, quae solvitur pro dispensationibus, et aliis spiritualibus expeditionibus; hinc *taxae*; quae ex pluribus titulis cohonestari possunt, cum vel titulo *commutationis*, vel *coercitionis*, vel *cohibitionis*, aut *sustentationis* solvantur. Votum enim aliquando commutatur in opus pium, et eleemosynam, vel per modum poenitentiae aliquid exigitur ad coercitionem in dispensationibus, quae ob praecedens crimen petuntur. Aliquando etiam ut cohibeantur homines a dispensationum petitione, certa taxa statuitur, et sic onerosae fiunt dispensationes ejusmodi. Denique hae taxae necessariae sunt ad sustentationem Ministrorum, et ad totius Ecclesiae commodum; patet igitur simoniaca labe minime esse conspersas.

alterum provenit, *neutrum invenditum derelinquit*, nemo non intelligit in Beneficiis Ecclesiasticis Simoniæ crimen patere latissime: quæ suapte natura cum spirituali officio, tum percipiendorum quorumdam fructuum iure constant. Parum autem interest ad bilateralis contractus naturam, utrum detur utrinque aliquid, an una pars quidpiam dederit, altera tantum promiserit. Unde ad Simoniam refertur ea etiam, quæ appellatur *confidentia*, seu fideicommissum super Beneficio fundatum: ut cum Beneficium recipimus, quo fructus illius alteri reddamus, aut certo post tempore titulum restituamus: aut cum usque ad certam infantis ætatem in amici alicuius fide Beneficium deponimus, ut illud adulto restituat (4). Item simoniaca labe inficiuntur reser-

(4) Hinc patet Simoniam, quae dicitur *Confidentialis*, pluribus modis posse committi, quorum praecipui, ex communi Doctorum loquendi usu dicuntur *per accessum, regressum*, et *ingressum;* simoniae confidentialis *per accessum* exemplum est, si quis cupiens aliquem provisum esse de beneficio, quod tamen statim consequi minime valet, ob aliquod temporale impedimentum, ut legitimae aetatis etc., beneficium ipsum alteri confert, vel resignat eo pacto, ut cessante impedimento, qui antea erat incapax, idem beneficium propria auctoritate possit accipere. *Per regressum*, si quis beneficium, cuius possessionem jam adeptus erat, cedat alteri, vel resignet, adiecta conditione ad beneficii possessionem redeundi, et jus pristinum in illo recuperandi, tum cum resignatarius beneficium quomodocumque amittat, ut morte, vel ad Episcopatum promotione etc. *Per ingressum* quando eadem pacta ineuntur inter resignantem, et resignatarium ingrediendi nempe, in iisdem casibus, in possessionem beneficii tantum collati, sed nondum a resignante possessi. Hae reservationes vel sibi, vel alteri factae sine expressa summi Pontificis auctoritate, cum haereditariae successionis imaginem praeseferant, et SS. Constitutionibus, et Patrum decretis adversentur, coram locorum Ordinariis

vatio pensionis absque Superioris auctoritate (5), et renunciatio servato ad idem regressu, ctæerique tractatus huiusmodi, *fiduciarii* latine dicti, qui intolerabiles, detestabiles, et christianæ Reipublicæ pestes in sacris Canonibus, et Summ. Pontificum Constitutionibus appellantur. Quare hæc simoniæ species gravioribus subest pœnis: atque admissa censetur, etsi qui rem spiritualem, eive annexam recepit, pactum fiduciarium haud impleat.

Ordinariæ pœnæ contra Simoniacos tantum obtinent in sacra ordinatione, Beneficiorum provisionibus, et Professione regularis vitæ: dummodo Simonia non sit, ut innuimus, vel mentalis, vel simplex conventionalis; nam conventionalis mistæ, quæ in realem *incompletam* recidit, alia ratio habenda est, ni canones corrumpere potius, quam interpretari velimus: quod Rubrica ipsa declarat.

Itaque omnes Simoniaci singillatim excommunicationi latæ sententiæ subiacent, cuius absolutio

fieri minime possunt, et irritae prorsus habentur. *Trid. Sess.* 25. *Cap. 7. de Reform.* Constitut. *Romanum Pontificem*, 85. *Pii IV. et Constitut.* Intolerabilis, *S. Pii. V.*

(5) Tradunt equidem plures Canonistae, et praesertim Fagnanus in Cap. *Cum pridem*, *de Pactis*, simoniaca labe non affici conventiones, et pacta de modo, quem partes optant a Superiore servari in permutationibus, et reservationibus, quoad pensiones, dummodo quis non paciscatur independenter a Superioris voluntate, quia tractatus huiusmodi consensum deliberatum in se non continent; insuper addit Fagnanus ipse *l. c.* partes non solum de his pactum inire, sed etiam perficere posse sub expressa conditione *si Superiori placuerit*; tunc enim effectus suspenditur usque ad Superioris consensum.

R. Pontifici reservatur. At cum simoniaca labe fœdatur Ordinatio, ut valida, tamen qui ordines contulit a Pontificalibus conficiendis ipso facto suspenditur, quique illos suscepit simili et susceptorum ordinum, et suscipiendorum suspensione, id est irregularitate multatur (6). At simoniaca Beneficiorum Collatio præterea est irrita, ita ut simoniace collatum adhuc vacare censeatur: nec ipsi clerico idem rursus sine Pontificis venia conferri umquam possit. Immo etiam aliena simonia inscio Clerico perpetrata eidem nocet, nisi vel sit in eius fraudem admissa, vel contra eam protestatus antea fuerit, vel forte Beneficium bona fide per triennium pacifice possederit (7). Nam per ostium, non aliunde ad sacra ministeria patere aditus debet. Quod si demum de simoniaca admissione ad regulare institutum capessendum loquamur, Conventus, vel Capitulum ab officio suspenditur, et professus præter iuris quam incurrit infamiam, in eodem Monasterio

(6) Trid. *Cap.* 1. *Ses.* 21. *de Ref.*

(7) Quaestio est inter Theologos et Canonistas utrum ignoranti simoniam ab alio commissam faveat Cancellariae Regula *de trienn. posses.* ad praescriptionem; expresse enim exigit Regula illa ut possessio beneficii hoc in casu sit absque simoniaco ingressu. Plurimi tamen docent, eum qui per tertii simoniam beneficium accepit posse illud retinere, si integro triennio hanc simoniam ignoraverit: eo quod illa verba *absque simoniaco ingressu* proprie videntur requirere ut simonia se habeat ex parte illius qui ingreditur beneficium. Etenim licet collatio sit simoniaca, ingressus tamen, vel actio, qua provisus ingreditur non est simoniaca. Ita Cabassutius, et alii.

degere nequit, nisi saltem ab Episcopo hanc veniam obtineat.

At vero *confidentialis* simonia præterea cum omnium Beneficiorum, ac pensionum ecclesiasticarum privatione, tum inhabilitate ad alia Beneficia assequenda punitur: ipsaque Beneficia ea maculata labe Summo Pontifici reservantur.

Cæteræ Simoniæ species eccelesiastici Iudicis arbitrio puniuntur.

TITULUS VI.

De Homicidio voluntario, vel casuali.
Tit. 12. Lib. V.

De criminibus contra priorem Decalogi tabulam dicta sufficiant; ad alteram nunc transeamus, ac primum expendamus crimina, quæ ipsam hominis vitam respiciunt, deinde quæ lædunt eius pudicitiam, et famam, postremo quæ rei familiari, fortunæque bonis damnum inferunt. Ab homicidio igitur exordiamur (1).

(1) Ex juxta causa hominem occidendi potestatem esse in Republica communis sententia tenet; et ratio naturalis exposcit, noxia membra resecanda esse, ne totum corpus inficiatur. In Exodo Cap. 22. v. 18. legitur: *maleficos non patieris vivere*; et Paulus ad Romanos de Principe scribit Cap. 13. v 4. *non sine causa gladium portat*. Et quamvis soli Deo attribui possit dominium vitae et necis, tamen quae occisio fit auctoritate publica, justaque de causa fieri censenda est auctoritate Dei, cuius *ministri* sunt Principes, ut ait Apostolus, et *vindices in iram eis qui male agunt*.

Homicidium, quod est hominis illata cœdes, et mors, vel *mandatu* alieno committitur, quod vulgo *Assassinium* vocatur, vel sua *sponte*, vel *casu*, quorum pessimum est illud, quod alieno iussu patratur; ideoque non solum tales rei, sed et defensores, et consultores, et receptores exuti bonis, officiis, dignitatibus, beneficiis hostes christiani nominis declarantur, excommunicationis, et depositionis ipso iure sententiam incurrentes (2).

Similibus pœnis tenentur qui non mandatu alieno, sed suopte ingenio per industriam hominem interemerunt (3), exceptis iis, qui furem occiderint, quem alia ratione evadere non potuissent (4).

Homicidarum quoque pœnis obstriguntur ii, qui partum abiecerint, et mulieri abortus causam dederint, aut concipiendi facultatem medicamentis abstulerint (5). Sed irregularitas non incurritur ex homicidio procedens, si fœtus nondum vitam habuerit, aut si eius mors casu evenerit (6).

Fortuita enim homicidia, dum nihil criminosum, aut illicitum quis peragat, nullis subiacent pœnis, exceptis parentibus, qui dormientes pueros corpore oppresserint, quibus certorum annorum pœnitentia olim iniungebatur.

(2) Cap. 1. h. T. in 6.
(3) C. 2. eod.
(4) C. 9. eod.
(5) C. Si quis *de Homicid.*
(6) Cap. *Sicut ex litterarum* eod. et nostr. Tit. *Qui promoveri etc.* et Lucium Ferrar. V. *Abortus.*

Iis demum, qui sibi consulto ipsis mortem consciverunt, et *Suicidæ* vulgo dicuntur, Ecclesia suas preces negat, et sepulturam (7).

TITULUS VII.

De criminibus contra pudicitiam, bonamque famam.

Humanum corpus lavacro regenerationis mundatum templum Dei est: adeoque ab omnibus impudicitiæ sordibus adeo abhorrere Christiani debemus, ut ea ne nominetur quidem in nobis. Hæ porro sunt impudicitiæ species.

1. *Fornicatio*, nempe illicita soluti alicuius, vel liberi maris cum soluta fœmina carnalis coniunctio, quas inter personas matrimonium posset de iure consistere. Ea nunc arbitraria pœna punitur.

2. Illicita vero coniunctio ipsa inter easdem personas continua *Concubinatus* dicitur. Tam grave scelus, ut e medio tolleret Tridentina Synodus (1)

(7) Vid. Ritual Rom. de *Exeq*. Seipsum occidere nemini sane licet ex naturali, divinoque praecepto „ *non occides* „. Quisque enim debet seipsum diligere suamque conservationem naturaliter appetit, cui suicidium directe adversatur. Homo autem quoad vitam, et membra dominio subiaceat Dei, eiusque jus laedit seipsum occidendo, et societati injuriam infert, quatenus ipse illius est pars. Quod si nonnulla vel in scripturis, vel in Ecclesiasticis historiis suicidi leguntur exempla, oportet existimes vel id perperam factum, vel ignorantia, vel aliquando divino instinctu et jussu.

(1) Ses. 24. *de Ref. Matr. C.* 8.

statuit, ut Concubinarius si ab Ordinario, etiam ex officio, ter admonitus, se a concubinæ consuetudine non seiunxerit, excommunicetur. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserit, contra eum severe pro gravitate criminis ab eodem Ordinario procedatur. Ad contumaces vero huiusmodi fœminas quod attinet, eas extra oppidum vel Diœcesim, invocato, si opus fuerit brachio sæculari, aliis pœnis in suo robore permanentibus Ordinario licet eiicere. Qua ratione autem contra concubinarios clericos sit procedendum ab eadem S. Sinodo in Cap. 14. Sessionis XXV. fusius explicatur (2).

3. *Stuprum* est illicita cum virgine, aut vidua honeste vivente carnalis copula. Stricto iure Canonico stuprator ad dotandam, uxoremque ducendam stupratam tenetur (3); ex consuetudine vero alterutrum ex his stuprantem præstare sufficit, atque inde natam prolem is alere debet (4). At si stuprum, ut aiunt, *qualificatum* fuerit, gravius etiam pro criminis gravitate punitur (5). Hinc si Clericus ex. gr.

(2) Fornicationem, et concubinatum gravia esse crimina Ecclesiae Catholicae doctrina tenet. Nec obstat *Can.* 4. *et* 5. *dist.* 34., ubi concubina permitti videtur; nam Concubinae nominae aliquando vera uxor intelligitur, sine dotalibus pactis et civilibus solemnitatibus ducta: sicuti Agar, licet esset vera uxor Abrahae, tamen eius vocatur concubina in Scripturis. Vide *Tit. IX. not.* (19 *Tom.* 1. *harum institutionum*.

3) Cap. 1. et 2. *de Adult. et Stupro* Tit. 16. L. 5.

4) Cap. 5. in fin. *De eo qui duxit. etc.*

(5) Quamvis prudenter fere ubique locorum prohibeatur ne an-

virginem vitiaverit, eam dotare cogitur, aliasque pœnas, iudicis arbitrio subibit; ac si eidem vim intulerit, vel fuerit adulter, ab officio deponitur, et in monasterium perpetuo detruditur (6).

Adulterium est *dolosa fidei coniugalis per concubitum cum extranea persona violatio;* Adulteri pœna excommunicatio; adultera vero in Monasterium ad pœnitentiam agendam concluditur, nisi a coniuge recipiatur (7). De adulterio alibi diximus.

Incestus, vel coniunctio intra cognationis, aut affinitatis gradus ab iure quoad matrimonium vetitos inita, excommunicatione ipso facto, aliisve pro varia delinquentium proximitate pœnis coercetur (8). De iis, qui spirituali cognatione iunguntur idem esto iudicium. Illud præsertim est proprium incestus, quod qui eum sciens commisit cum coniugis consanguineis, coniugalis debiti petendi iure careat (9).

Raptus, de quo hoc in loco agitur, est *honestæ personæ abductio libidinis tantum explendæ causa*. Raptores virginum, nisi assentiente puella crimen matrimonio purgetur, excommunicatione puniun-

te contractum matrimonium, sponsus in una eademque domo habitet cum sponsa propter evidens carnalis coniunctionis periculum; tamen prohiberi non potest sub poena stupri, sed dumtaxat sub poena arbitrio Ordinarii infligenda, ex decreto Congregationis Concilii, relato a Benedicto XIV. *de Syn. dioeces. Lib.* 12. *Cap.* 6. *num.* 3.

(6) Can. *Si quis* 10. Dist. 81.

(7) Can. 4 C. 32. Q. 4. Can. 20 et 23. ead. C. Q. 5.

(8) Cap. 35. per tot. Clem. Un. *De Consang. et aff.*

(9) Cap. 1. et 4, *de eo, qui cognov. etc.*

tur, aut depositione, si clericus raptor fuerit (10). Raptores mulieris, quæ virum habet, subsunt pœnis adulterorum, ac cæteris, quæ singularum gentium moribus receptæ sunt; sacrarum autem virginum, sive monialium raptores pœnas perferunt, quæ a sacris Canonibus contra raptores simul, et sacrilegos sunt constitutæ (11).

De raptu matrimonii causa perpetrato, ad quem ex DD. sententia pertinent pœnæ a Sancta Tridenna Synodo sancitæ (12), egimus Libro nostrarum Institutio num secundo.

Aliæ quoque sunt illicitæ coniunctiones, veluti poligamia simultanea, sodomia, bestiarum abusus, a quibus natura ipsa maxime abhorret; quæ posteriora duo monstra libidinis excommunicatione in laicos, ac depositione in Clericos plectuntur: immo degradatione ipsa, si pluries sese hi tam nefariis sceleribus coinquinaverint (13).

At vero in veteri Ecclesiæ disciplina certis afficiebantur, severisque pœnis etiam ii, qui hactenus recensitis criminibus quodammodo inservirent, ut lenones (14), lascivorum carminum scriptores, cæ-

(10) Can. 1. XXXVI. Q. 2.
(11) Can. 2. et seq. ibid.
(12) *Sess.* 24. *Cap.* 6. *de ref. matrim.*
(13) Cap. 4. *de excess. Praelat.*
(14) Lenocinium est crimen publicum quo pater liberos, maritus uxorem, vel quicumque alius prostituendas foeminas exponit, vel eorum prostitutionem permittit quaestus causa. Hoc crimen punitur gravissime. Concubitus vero Christiani cum Iudea vel Pagana, quamvis per se non differat a simplici fornicatione, tamen

teri eiusmodi; verum ii nunc arbitrariam, et ut plurimum in foro tantum interno aliquam pœnam subeunt (15).

Denique ut de criminibus, quæ honorem, et famam hominum lædunt aliquid attingamus, calumniæ, et iniuriæ tam verbales quam reales arbitrariis plerumque pœnis vindicantur, gravitati criminis respondentibus; præter famæ, et eius quod interest refectionem. Quod si de famosis libellis agatur, eorum auctores excommunicatione puniuntur (16). Maximum autem, atque gravissimum crimen esse in Romanam Ecclesiam iniuriosa verba proferre, vix est quod monitione indigeat.

TITULUS VIII.

De criminibus, quibus rei familiaris aliorum nocetur.

In hunc censum veniunt Furtum, Rapina, Incendium, damnum quodvis iniuria alienæ rei illatum, Usura demum, de qua singulari Titulo disputabitur.

Quid furti, quid rapinæ, quid damni iniuria illati vocabulo intelligatur, ex Iustiniani institutioni-

plerumque punitur gravius, ob iniuriam Christiano nomini illatam. Si vero coniugii praetextus accedat, adulterii poena cohercetur.

(15) Vid. Tit. de *Adulter.* etc. VII. Decretal. Petri Matt., et Wan-Espen. I. E. U. P. 3. C. 4.

(16) V. Tit. de *Calumniator.* Tit. de *Maledicis.*

bus, iam notum ponimus. Incendiarii autem, et falsarii qui sint, satis indicare videtur ipsa vis nominum. Horum igitur criminum pœnas canonicas tantummodo persequemur.

Furtum (1) sacri Canones puniunt interdictione ordinum; etenim fures Ecclesia promovere vetat ad sacros ordines, si publica infamia laborent. Occultos autem non aliter ad ordines admittit, nisi delictum confessi ablatum reddiderint, pœnitentiamque egerint (2). Ordinatos vero, si furentur, et incorrigibiles fuerint, deponit ab ordine, ac sæculari putestati tradit (3).

Raptores, et *Incendiarii* excommunicationem incurrunt, a qua minime absolvi possunt, nisi damna reparent (4).

Damna iniuria data pro qualitate criminis arbitraria pœna vindicantur (5).

Falsi crimen in clericis Ius Canonicum depositio-

(1) Loca sacra violantur effractione, spoliatione, vel sacrilega ablatione rerum sacrarum. Ex Constitutione Benedicti XIV. *Ab Augustissimo* 5. Martii 1744. subripientes, asportantes, aut apud se retinens Hostias, vel particulas consecratas saeculari Curiae tradendi sunt, si sint Ecclesiastici, praevia degradatione; etiam si juxta Constitutionem Innocentii XI. IV. idus Martii 1676 hoc scelus pro prima vice patraverint, et minores sint annis 25 dummodo vigesimum attigerint, reiectis exceptionibus a reis dari solitis, vel quod non satis constet de earumdem particularum consecratione, vel quod non fuerint subreptae, asportatae, vel respective retentae ad malum finem: quarum exceptionum claram et concludentem probationem ad eosdem reos, et non ad fiscum spectare decernitur.

(2) Cap. 1. etc. *de Usur. in VI.*

(3) C. *Ex literis De furtis.*

(4) V. Tit. *de Raptor.* et *incendiar.*

(5) V. Tit. 36. *De Iniur. et damn. dato.*

ne ab ordine punit, et detrusione in Monasterium pro criminis qualitate (6). Exacerbantur autem pœnæ in falsatores literarum Apostolicarum, quos cum fautoribus Canones anathemate damnant, Clericos omnibus beneficiis exuentes, eosque degradatos Iudici sæculari tradunt: illos autem, qui non falsaverint literas, sed falsatis ab alio usi fuerint mitius tractant, et Clericos quidem spoliant beneficiis, laicos vero excommunicationi subiiciunt, donec congrue satisfecerint: idemque in eos statuunt, qui falsas literas impetrarint (7).

TITULUS IX.

De Usuris. Tit. 19. Lib. V.

Furti, aut rapinæ loco habita semper fuit a Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque Conciliis Usura. Est autem Usura *quidquid supra sortem a nobis vel re ipsa, vel sub aliquo veluti pallio mutuo datam, pro usu tantum* (1) *et commodo eiusdem recipitur*. Foe-

(6) Cap. *Cum non ab homine* de iudic. Cap. *Tuae* de poen.

(7) Cap. *Ad falsariorum* de Crim. falsi.

(1) Omne lucrum ex mutuo precise *ratione mutui*, remoto lucri cessantis, damni emergentis, vel alio extrinseco titulo, usurarium et illicitum esse constans et perpetua Catholicae Ecclesiae doctrina est. Huic contradixere Graeci Schismatici; deinde Calvinus, Molinaeus, Salmasius, et alii distinguentes inter pauperem et divitem mutuatarium. Benedictus XIV. ad D. Petri Cathedram evectus, ne catholicae doctrinae puritas erroris labe foedaretur, datis ad Italiae Episcopos literis Encyclicis sub die I. Novembris 1745. inter cae-

nus quoque eadem vocatur, quasi sit foetura pecuniæ, alteriusve rei fungibilis.

Quare 1. *Anatocismus*, sive usura, quæ de non solutis usuris percipitur execrabile crimen est.

2. Iniquum pariter ut plurimum *pactum*, ut vocant, *Commissorium*, per quod, si condicto tempore rem mutuo sub pignore acceptam debitor non restituit, creditor ipse pignoris evadit dominus.

3. Idem de *Antichresi* dicendum: ita enim dicitur pactum, per quod creditor rei in hypotecam sibi constitutæ fructus colligit usurarum loco, quin scilicet pro rata percipiendorum fructuum sors debita minuatur.

Tres tamen casus excipiuntur, in quibus licet integram sortem recipere, quamvis fructus ex pignore percepti fuerint. Primus, si laicus possessionem aliquam rei ecclesiasticæ, quam iniuste detinebat, eidem clerico pignori tradat, cui eam eripuerat (2). Secundus, si res pignori data sit feudum, et pignori detur domino directo: hic enim potest feudi fructibus frui, dummodo feudi onera non exigat a

tera declaravit omne lucrum ex mutuo, *ratione mutui* usurarium et illicitum esse, et ad usurae labem purgandam nullum arcessiri posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum et nimium, sed moderatum, vel quod is a quo lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper sed dives existat, et ad fortunas suas amplificandas utilissime pecuniam sit impensurus. Vid. Encyclicam quae incipit: *Vix pervenit*: ratione tamen titulorum quorundam, qui a contractu mutui vere extrinseci sint, justum lucrum exigi posse nemo dubitat.

(2) Cap. 1. h. T.

Vassallo, qui feudum non possidet. (3) Tertius est, si Maritus dote nondum exacta possessionem frugiferam a Socero in pignus acceperit: potest enim is tolerandorum onerum coniugalium causa gaudere fructibus, et integram postea dotem repetere (4).

4. In purum mutuum abit ficta rei venditio, ac retrovenditio, quæ ab Hispanis *Mohatra*, apud nos *Scrocchio* vulgo appellatur, adolescentum præsertim pestis atque pernicies; nam cum quod maximi per fictionem emitur, idipsum venditori minimi retrovendatur, pretii discrimen enormis usuræ loco est.

5. Sed et *trini contractus* par ratio in foro saltem interno habenda est, de quo inter Navarrum, et Dominicum Sotum acerrima fuit disceptatio. Trinus contractus fieri dicitur, cum societati duplex *assecuratio*, ut aiunt, tam quoad sortem, quam quoad fructus adiungitur. De hoc late disputat sæpe laudatus Benedictus XIV. (5), monens Episcopos, ut a decisione qualibet in synodis hac super re abstineant: omni studio interim elaborent, quo contractus huiusmodi ab eorum dioecesibus eliminetur.

Contra vero usura evanescet, quoties non ob commodum, usumque pecuniæ, sed probatam a-

(3) Cap. 1. *de feudis*.
(4) C. *Salubriter* 16. h. T.
(5) *Lib. X. Cap. 7. de Syn. Dioeces.*

liam ob causam mutuo extrinsecam aliquid ultra sortem exigatur. Unde ratione *lucri cessantis*, et *damni emergentis* crimine carent ii, qui cum in mercimoniis pecuniam utiliter occupare soleant, eam alteri mutuantes aliquid supra sortem stipulantur: quo nomine eximuntur a crimine usurarum *Montes pietatis* a Leone X. probati in Concilio Lateran. V. (6). Plures namque sunt necessarii sumptus, quibus hæc *pia loca* in civium utilitatem constituta conserventur, et vigeant.

Sunt etiam usurarum expertes *Census*, per quos emitur ius percipiendi fuctus ex certo fundo, qui semper nexu devinctus est, ut creditor in tuto sit. Non enim eo contractu venit quæstus ex pecunia, sed dominus rei frugiferæ vendit ius capiendi certos ex ea fructus, quod recte, atque ordine fieri quis inficiabitur? (7) Plura autem sunt observanda, ut

(6) Acriter disputatum est aliquando an qui *Montes pietatis* dicuntur usuraria labe infecti sint. Instituti illi quidem fuere ut miserorum egestati posset subveniri per pecuniam ipsis ea lege mutuatam, ut mutuum accipientes aliud quid exsolvere praeter mutuatam sortem adstringerentur pro ministrorum substentatione, et aliis necessariis expensis. Mirum profecto est haereticos, qui usuras probant, Pietatis Montes improbare. Leo tamen X. in Concilio Lateranensi V. Montes pietatis licitos declaravit, nec ullatenus usurarios: quatenus lucrum quod ex mutuata pecunia percipitur, tantum exsolvitur pro impensis, quae necessariae sunt huiusmodi fundationum conservationi. Ratio enim ipsa suadet, ut qui sentit commodum, sentire debeat etiam onus illi necessario annexum, dum nullum ex mutuo, *vi mutui* lucrum intendatur. Decrevit insuper Pontifex excommunicationis latae sententiae poenam in eos qui adversus huiusmodi declarationem verbis vel scriptis ausi fuerint refragari.

(7) L. 63. et 72. *ff de Usufr.* §. 1. Instit. eod.

hic contractus valeat, et omnis ab eo usuræ suspicio removeatur. Præcipua sunt, ut accurate designetur certus fundus, et hic quidem frugifer, qui census hypothecæ subsit; atque ut coram testibus, ac Notario revera numeretur pecunia, quæ continuo debitori seu venditori Census tradenda est (8), iuxta Martini V. et Callixti III. Constitutiones, et Bullam in primis S. Pii V. = *Cum onus* = , quæ in huiusmodi contractibus laudari solet, quæ tamen quoad ea, quæ iuris positivi sunt, non ubique obtinet.

Servatis omnibus, quæ servare oportebat, creditor, seu emptor ius acquirit certos ex designato fundo percipiendi fructus, aut horum loco vim certam pecuniæ; illud autem quod ipse numeravit pretium ita amittit, ut repetere suo lubitu nequeat. Licet tamen debitori pretium ipsum restituere, atque ita se ære alieno, et Census onere liberare; verum duos ante menses res tota nuncianda, et aperienda creditori est. Atque hic quidem probatissimus Census *Realis* dicitur: ex cuius indole conficitur, ut pereunte fundo, super quo constituitur, idem pereat, atque tollatur. Cum igitur in *personali* censu, qui super labore, atque industria personæ, licet sub generali bonorum hypotheca, funda-

(8) Martin. V. Extravag. *de Emptione* etc. int. Com., et Callixt. III. *in Extr.* 2. eod.

tur, id minime obtineat; profecto de eo par esse non potest iudicium.

Immunis etiam ab usuræ labe est *Cambium* seu *manuale*, et *minutum*, seu *locale*; per quorum illud pecuniæ præsentis certum genus cum alio genere, puta moneta argentea cum aurea permutatur: per hoc autem pecunia certo in loco traditur, vel accipitur, ut in alio recipiatur, vel restituatur. Nam si fraus absit, nilque per fictionem fiat, æquum est, ut labor, industria, sumptus, pericula, quæ in colligenda, vel transferenda pecunia occurrunt aliqua ratione compensentur. Quorum simile cum nihil in cambio, quod vocant *siccum* contingat, nil mirum si a Rom. Pontificibus improbetur (9).

Foenus pariter *nauticum*, seu *traiectitium*, quamquam præsumptione criminis laborare possit, crimine tamen vacat, si *reipsa* qui pecuniam mutuo dat sponte pactum in se suscipiat periculum; itemque nulla est usura iuxta celeb. Cap. *Naviganti* ult. h. T. in caeteris ibi enumeratis contractibus, in quibus contrahentes sortis, seu fortunæ vicibus sese ultro subiiciunt; dum in aliis servetur æquitas (10).

(9) Pius IV. in Const. *Cum sicut* 1. Tom. 4. P. 2. Bullar. S. Pius V Const *In eam* 162. T. 4. P. 3.

(10) Percelebre est Caput *Naviganti* de *usuris*, ubi Gregorius IX. ait „ *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem pro eo quod suscepit in se periculum recepturus aliquid utra sortem, usurarius est censendus*. Videtur ex hoc Capite etiam ob extraordinarium periculum mutuo extrinsecum nihil posse recipi ultra sortem. Quo pacto igitur hic textus intelligi debeat incertum omnino est; nam Canonistae in varias

Reliquæ sunt poenæ in eos, qui usuras exercent Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo coeno iacere manifesto constat, infames fiunt, quæ tamen infamia ex usu, et canonica æquitate tollitur, si resipiscant; et irregulares propter contractam infamiam, et intestabiles, ita ut eorum si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, Clerici ab ecclesiastico officio, et Beneficio deponuntur, Laici excommunicantur, ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, et ecclesiastica sepultura denegatur (11), et Clericus qui hos homines sepelivit statim in excommunicationem incidit.

Constat autem *manifesto* aliquem esse huius criminis reum vel ex facti evidentia, quia palam improbum foenus exercet, vel ex propria confessione in iure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel eius suspicio removeatur (12).

abeunt sontentias. Nonnulli, et fortasse probabilius mendum irrepsisse in textum putant, et legendum esse „ usurarius *non* est censendus „; idque videtur posse deduci ex eo quod sequitur his verbis „ Ille quoque qui dat decem solidos non debet ex hoc usurarius reputari „: particula *quoque* paritatem sonat, adeoque indicat Pontificem velle neutrnm censeri usurarium, si enim de uno vellet, de altero nollet potius dixisset: *ille tamen*, *ille contra*. Interpretes vide.

(11) Cap. 2. h. T. in VI. Clem. C. *de sepult*.

(12) C. 2. h. T. Clem. Un. §. *Caeterum* L. 5. et 6. Cod. *de Probation*.

TITULUS X.

De Accusationibus, Inquisitionibus, et Denunciationibus T. I. L. V., *et totius Processus criminalis forma.*

Crimina, de quibus agi in Iudicio potest iam recensuimus; modos nunc videamus, quibus recte instituitur criminale iudicium. Hos Rubrica ipsa demonstrat.

Accusator proprie dicitur *qui certi alicuius criminis auctorem per libellum, et inscriptionem in iudicio persequitur, ut re comprobata reus iusta poena plectatur*. Libelli autem querimonialis partes superius (1) exposuimus; ac præterea vidimus quot quantasque cautiones exigant Sacri Canones, ut calumniæ genus omne a civilibus iudiciis amoveatur. Eæ igitur in criminalibus maiori studio, ac religione sunt adhibendæ, ne forte innocentia opprimatur, triumphet iniquitas.

Hinc. 1. accusare regulariter neminem possunt infames, impuberes, foeminæ, excommunicati, infideles, heterodoxi, qui falsum dixere testimonium, vel calumniatores fuere, quique ob turpem quæstum accusant, vel suspicione laborant. Sed nec fi-

(1) Lib. 3. nost. Inst. Tit. VI.

lii parentum, et vicissim, nec fratres fratrum accusatores admittuntur. Clericis autem, ac Regularibus, si ad vindictam, seu poenam sanguinis intendant Accusatio interdicitur, non secus ac inimicis capitalibus, aliisque nonnullis iure præsertim civili, quod probant Canones, ut filiis familias sine consensu patris, militibus, Magistratibus, pauperibus etc. Qui tamen fere omnes, si de atrocioribus agatur delictis, sive tantum *civiliter* agant (2) ad id, quod interest consequendum, vel propriam, suorumve persequantur iniuriam, admittuntur (3).

(2) Ab jure Canonico Clerici prohibentur accusare; tum quia a negotiis saecularibus alieni esse debent, tum quia periculum est irregularitatis. Possunt tamen Clerici et Religiosi delictum deferre in Iudicium civiliter tantum, verb. grat. ad compensationem sibi faciendam pro damnis illatis: facta tamen protestatione, de qua diximus in titulo irregularitatis, quod non agant criminaliter, sed tantum ad id quod eorum interest. Etenim si clericis et Religiosis non liceret convenire fures aliosque scelestos homines, via aperiretur latissima Ecclesiarum, Monasteriorum, et Clericorum bona depredandi, eosque etiam occidendi.

(3) In causis criminalibus generatim nec accusatorem, nec accusatum per procuratorem in Iudicio posse comparere, late probat Gonzalez in Cap. *Tuae 5. de Procuratorib*; idemque dicendum de causis liberalibus. Hoc aperte eruitur ex Can. *Si quando* 40. Caus. 2. qu. 6. cuius haec sunt verba „ *Si quando in causa capitali*, *vel causa status interpellatum fuerit*, *non per exploratores* (idest procuratores) *sed per se ipsos est agendum* „ idque etiam, circa criminales causas, in Cap. *Veniens* 15. *de accusationib.*, Innocentius III., respondens Sancteburgensi Archiepiscopo, declarat. Accusator autem, ut animadvertit Gonzalez, *loc. cit.*, non per procuratorem, sed per se accusationem tenetur proponere, quia cum accusator in ipsa accusatione subscribere debeat, et poena afficiatur si calumniose accuset, ideo si per procuratorem accusatio admitteretur, non ipse, sed procurator poena plecteretur. Accusatus vero per procuratorem defendi nequit, ne illusorium reddatur judicium, aut procurator innocens etiam hoc in casu damnetur, si dominus, idest reus fugam arriperet. Denique si de causa *status*

2. Quorum autem recipiuntur accusationes, ii subeunt, si in probatione deficiant, calumniatorum poenam, quæ olim *Talio* erat (4).

Qui *criminis notitiam Iudici quomodocumque defert, denunciare dicitur*. Et vel *Evangelica* est denunciatio, dum iudici tamquam patri manifestatur crimen, ut reus corrigatur: eamque, ut in Evangelio legimus duplex monitio præcedere debet: vel *Canonica* cum in eum tantum finem detegitur crimen, ut periculum animæ, sacrorumque Canonum violatio impediatur, veluti ne ordinetur indignus, aut ne matrimonium interveniente impedimento contrahatur: vel tandem *Iudicialis*, quæ sive privatim fit a quocumque, ut proprium damnum, et iniuria reparetur, sive publice a ministris ad id destinatis, ut Iudex secundum leges procedat contra reum. Hoc autem in casu denunciator Iudici præbere saltem debet probabilia criminis indicia, sive argumenta, quibus ad denunciandum motus fuit, quibusque Iudex innixus per se ipsum de crimine alterius inquirere possit.

agatur, non constituitur procurator, ut diximus, nisi tamen ille, qui constituit sit in possessione libertatis. Nonnullas exceptiones legere poteris apud Glossam in dict. *Can. Si quando, et Gonzalez ibid. et Migliorucc. Inst. Can. L.* 3. *T.* 3. *Dissertat.* 9. et alios.

(4) Talio dici videtur a *talis*; quod nempe aliquis tale quid patitur, quale fecit. ex. gr. si quis manum alicui amputavit, illi etiam manus amputatur; si quis alteri oculum eruit, ipsi quoque eruitur oculus. Talionis poena in usu erat apud Haebreos; eamque in duodecim etiam Tabulis Romanorum contineri, ait Verrius hoc modo: Si membrum rupsit, (*vel ruperit*, ut alii legunt) ni cum eo paicit, talio esto; *id quod significat non indicat, fortasse quia notum est; permittit enim Lex parem vindictam*.

Inquisitio ergo a denunciatione originem ducit, quamvis oriri etiam possit vel a publica fama, vel a proprio Iudicis officio. Ea definitur *legitima criminis investigatio ab Iudice sine proprio accusatore instituta*: et dividitur in generalem, specialem, et mixtam.

Generalis est cum Iudex loca, vel personas inspiciens, quæ ad propriam spectant iurisdictionem, an quidquam contra leges fiat, perscrutatur, velut in suis visitationibus Episcopi. *Specialis* est qua de certo crimine contra certas personas de crimine suspectas inquiritur, ut indubius ipsius auctor appareat. *Mixta* demum dicitur quando de crimine quidem constat, sed ignotus adhuc omnino illius auctor inquiritur. Unde in speciali nonnullæ saltem præsumptiones verisimiles coniecturæ, vel indicia, quæ infamiam pariant contra reum, præcedant oportet, quemadmodum et de criminis veritate cum in speciali, tum in mixta quavis inquisitione constare debet (5).

Inter modos criminalia introducendi iudicia nonnulli quoque recensent *exceptionem*, qua crimen quis alteri obiiciens a semetipso avertit accusationem; tum *confessionem* rei, qui alios accusat, eiusdem, quod ipse confitetur, vel alterius criminis, qui tamen modi facile ad accusationem, denunciationemve redigi possunt.

(5) Cap. 14. 17. 19. 21. et 42. hoc Tit.

Accusationem, aliumve iudicii criminalis inchoandi modum sequitur citatio rei; et quidem *verbalis*. *Realem* tamen non improbant omnino Canones, si fuga rei timeatur, nec alia ratione caveri queat quominus eludatur iudicium (6). Porro detentionis, non alius esse debet scopus, quam ut custodiatur reus.

Quæ autem probationum species in civilibus Caussis obtinent, iis fere (7) in iudiciis criminalibus recte utimur. Atque hic potissimum capitula, testium nomina, eorumque testimonia patefacienda sunt reo, quantum fieri potest, præsenti.

In crimine tamen haereseos constitutum est, ut procedi possit *simpliciter*, *et de plano* sine ullo strepitu, et figura iudicii, celatis etiam accusatorum nominibus, et testium, si ex eorum publicatione grave periculum eis impenderet a reo forte potentiori (8).

Si diligenter, cauteque interrogatus reus rite, idest non tormentorum acerbitate compulsus, sed ultro, ut mos profecto mitior fere ubique inolevit, fateatur crimen, tunc *legitimatus*, ut aiunt, seu perfectus habetur processus. Sed ubi de accusati crimine satis constet, eius vel fugitivi, vel latitan-

(6) Trid. *Ses.* 25. *Cap.* 6. *de ref.*
(7) Vid. Tit. *de Iureiur.* Lib. 3. nostr. Inst.
(8) Vid. Clement. I. *de haeretic.*, et Lucii Ferrar. *Biblioth.* verb. *Inquisition. S. Offic.*

tis post tres citationes contumacia pro confessione haberi solet; *purgandæ* tamen *moræ* non denegatur facultas. Sin autem reus in negando persistat, neque ex eius responsis, eum esse delati criminis auctorem luculentissime concludatur; ita legitimus processus, sive actorum confirmatio fiet.

Primo scilicet interrogando iterum testes explorabit Iudex num eorum testimonia sibi constent; immo etiam opus est aliquando, ut testes coram ipso reo sua dicta confirment, quod et in Conciliis Ecclesiae factum antiquitus invenimus. Deinde vero nova reo concedenda dilatio est, ut ei pateat facilior, uberiorque defensio.

Si vero probationes non sint eiusmodi, ut ad plenitudinem, perfectionemque pertingant, iure communi reus ad purgationem admittitur, ut omnis suspicio criminis ab homine Christiano, præsertim Clerico amoveatur. De ea in Decretalibus duo extant Tituli, quippe quæ in Vulgarem, et Canonicam distinguitur.

Canonica dicitur quæ Canonum auctoritate firmatur; quamvis in foro vix ullus eiusdem sit usus. Consistit autem in actu quodam, quo accusatus tactis Evangeliis, vel Reliquiis Sanctorum de propria innocentia iurat, simulque cum eo iurant alii, qui probe illum, eiusque vitam cognoscant, et *Sacramentales*, et *Compurgatores* vocantur. Hi fide digni esse debent, numero plures, paucioresve pro maiori,

minorive contra ipsum accusatum suspicione, aut gravitate criminis: Unde formula *tertia*, *quinta*, *septima manu* iurandi: ac de *credulitate* tantum iurant, idest credere se eum, qui purgationi subest, esse expertem illati criminis, ac periurii incapacem.

Alia *vulgaris* Purgatio appellatur, cum a vana vulgi opinione infelicioribus sæculis originem duxerit, et iandiu merito a Rom. Pontificibus explosa, et damnata est. A nonnullis ea pendebat experimentis, quibus accusatus, vel suspectus subiiciebatur, ac si eadem cessissent feliciter, innocens; si autem ille in experimento defecisset, reus habebatur (9). Ita fere semper temere tentabatur Deus,

(9) Probationis duplex est species *canonica et vulgaris*. *Canonicae* sunt quae canonibus approbantur: *vulgares* quae in usu quidem erant aliquando non tamen a canone sancitae vel probatae. In lege veteri uxoris pudicitia probabatur per aquam ZELOTYPIAE in quam sacerdos maledicta congesserat. Sed nihil de peccato periclitabatur, ubi de divina institutione constabat. Purgationes vulgares erant consuetudine vulgi receptae ad veritatem in dubiis causis detegendam. Praecipuae fuerunt *duellum*, *ferrum candens*, *aqua calida*, et *frigida*. Per *duellum* innocentia demonstrari credebatur si qui se innocentem dicebat, duello victor remaneret. In iudicio *ferri candentis* suspectus de crimine nuda manu ferrum ignitum stringebat; quae si ab igne illesa remaneret, innocens habebatur. In judicio vero aquae ferventis, nudum brachium in aquam ferventem immitebatur, quod si illesum extraheretur, innocentiae signum putabatur. Probatio per aquam frigidam ita fiebat: accusatus in aquam immergebatur, et si enataret, reus; si in imum descenderet, innocens erat: probatio sane absurda. Hae vero probationes vulgares *judicia Dei* dicta sunt; etiam duellum, quod a Christi doctrina quam longe abhorreat nemo nescit. Vulgares isti probandi modi a barbaris Populis in occupatas Occidentis Provincias illati sunt. Revera miras occulta demonstrandi ratio-

ac sæpe virium robur, aut calliditas innocentiæ præstabat (10).

TITULUS XI.

De Pœnis. Tit. 37. Lib. V.

Poena definiri potest = *quodlibet doloris aut incommodi genus, quod ex privatione plerumque boni, vel iuris oritur, et quis per leges patitur ob patratum crimen* =. Hinc *naturalium, civilium*, et *canonicarum* poenarum distinctio pro varietate legum, unde illœ promanant. Nos *Canonicas* imprimis exponimus, ita dictas, quod in Ecclesiæ canonibus inveniantur.

Poenæ, quas rei vere poenitentes humiliter subeunt, *poenitentiæ*, ut in Lib. 2. docuimus, vocari solent; quæ vero in reluctantes, et invitos in externo foro ab Ecclesiæ Rectoribus infliguntur, eae *poenae* in specie nuncupantur. Hæ rursus si dumtaxat

nes apud ethnicos fuisse receptas a viris doctis probatum est. Celtae iudicia per aquam usurpabant; cognita, et usurpata gentibus quoque erant judicia per ignem; constat enim ex Sophocle in *Antigone*, occulta scelera per ferrum candens manibus impositum detegi consuevisse: apud Germanos vero, aliasque Septentrionis gentes receptissima erant judicia per duellum. Istae purgationes non tantum constitutae reperiuntur per antiquas Longobardorum leges, sed etiam per Caroli Magni capitulare. Sancta Cunegunda Imperatrix se apud Sanctum Enricum coniugem suum ab adulterii suspicione male concepta, nudis pedibus super ardentes laminas incedendo liberavit. Fuere tamen viri doctissimi, illis etiam temporibus, ut Ivo Carnotensis, qui has probationes reprobarunt; et tandem adnitentibus Romanis Pontificibus Alexandro III., et Innocentio III. vulgares probationes penitus rejectae sunt.

(10) Vid. Tit. 34. et 35. Lib. V. Decret. et le Brun *Istoria delle Superstiz.*

quasi medicamenta quædam ad obtinendam reorum emendationem, atque animæ salutem adhibeantur, *censurae* dictæ sunt ab Innocentio III., fortasse iuxta veterem Romanæ Reipublicæ Censorum morem (1). Quod si et ad rei emendationem spectent, et eo simul tendant, ut cæteri exemplo poenæ deterriti in officio maneant, ac divinitus acceptam Ecclesiæ potestatem, maiestatemque revereantur, eique illata impudenter iniuria quadantenus compensetur, strictiori significatione *poenae* appellantur. Unde, ne verbi controversia sit, quas *Censuras* dicimus, eas tam in amplissima, quam in angustiori significatione *poenas* recte aliquando vocaveris.

Si certo crimini certa pæna a Iure (2) constituta

(1) Cap. 20. *de verb. signif.* Censura apud Romanos in privatione juris vel dignitatis consistebat; etenim notatio censoria procedebat, ut qui Senator esset Senatu ejicieretur, qui eques, equum publicum perderet, qui plebejus in Caeritum tabulas referretur. Caerites hoc est Caerae incolas primos municipes fuisse sine suffragii jure observat Gellius. Inde Caerites tabulae appellatae in quas censores referri jubebant eos quos notae causa suffragiis privabant. Nota ista Censoria species quaedam erat poenae, quae ad vitia legibus non interdicta spectabat, eratque in Civitate recte instituta omnium Magistratuum sententiis acerbior. Quandam cum iis similitudinem praeseferunt censurae Ecclesiasticae, quae sunt ab Ecclesia constitutae auctoritate a Christo accepta. Ipsae enim privant hominem Christianum communione fidelium, vel dignitate, vel jure fraternitatis.

(2) Sunt nonnulli qui putant Principes dispensare non posse, et poenam mitigare in iis criminibus quibus Deus in veteri Lege poenam capitis statuit, uti homicidio. At quis non videt istos omnes maximo in errore versari, cum praecepta ista veteris legis utpote judicialia Christi morte abrogata fuerint? Inferiores tamen Iudices poenam a Legibus statutam infligere tenentur; ipsi enim legibus subiiciuntur, nec eis licet judicare de Legibus, sed juxta ipsas ferre judicium. *Can.* 3. *Dist.* 4." tum quia facti quaestio in arbitrio

sit, *ordinaria* dicitur; si vero Legislator poenæ genus ad coercitionem rei Iudicis arbitrio relinquat, ea *extraordinaria,* vel *arbitraria* nominatur.

Quamquam poenarum omnium, quibus uti Ecclesia potest, finis esse debeat animarum salus; non omnes tamen, quarum in ea usus inolevit per sese ac recta spiritum afficiunt, sed in corpus imprimis vim exerunt suam: unde *corporales* audiunt. Inter has præcipuæ sunt ictus fustium, aut flagellorum in pervicaces Monachos, minoresve Clericos, in Monasteria, vel alia ecclesiastica loca detrusio, mulcta pecuniaria, et eiectio e monasterio, civitate, diœcesi. De mulctis autem sanctissime cautum est, ut ab Ecclesiæ Iudicibus omnis absit turpis quæstus, et avaritiæ suspicio, utque pecunia ipsa pauperum, piorumve locorum usibus applicetur (3). Sunt tamen qui carpunt ipsum quarumdam huiusmodi poenarum usum, quos memorat ac refutat fel. record. Pontifex Benedictus XIV. (4). Nos missis litibus ad *spirituales* pœnas, censuras scilicet, et ad depositionem, ac degradationem properamus, quæ in celeb. Cap. *cum non ab homine* X. *De Iudiciis* a Celestino III. Pontifice recensentur.

Sed cum de pœnis agitur, cuiusvis tandem gene-

Iudicantis est, poenae vero persecutio, non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur,, L. 1. §. 4. *ff. ad S. C. Turpill.*

(3) Trid *Ses. XXV.* C. 3. et 14. *de Ref.*

(4) De Syn Dioec, L. X. C. 9.

ris eæ sint, inhærendum est Iuris Regulæ 49. de R. I. in VI. = *In pœnis benignor est interpretratio facienda* = quæ ex XV. desumitur = *Odia restringi, et favores convenit ampliari* =. Hinc 1. si dubitetur utrum inflicta poena temporalis sit an perpetua, temporalis intelligetur. 2. Ex multis expressis disiunctim pœnis, eligetur mitior. 3. Generalia verba iuris *puniatur*, *privetur* per se non inducunt privationem, poenamque ipso iure, vel facto subeundam, sed sententiam postulant Iudicis, ut reus puniatur, privetur.

TITULUS XII.

De sententia Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti. Tit. 39. Lib. V.

Censurarum omnium ea indoles, ac ratio est, ut a Clavium, seu ligandi, solvendique in externo foro a Christo Ecclesiæ tradita potestate pendeant. Earum tamen vis et effectus non ad exterius tantum Ecclesiæ regimen restringitur, qui fuit Lutheranorum error a Leone X. Pontifice damnatus; sed et est huiusmodi, ut interius animam censuræ obligent, et afficiant.

Hinc *Spirituales* poenæ Censuræ sunt, et quidem graves, quippe in Spiritualium bonorum privatione suapte natura consistunt; ideoque cum grave

Crimen (Tit. 2. h. Lib.) exigitur, ut reus censura plectatur, tum in eo, a quo censura infligitur, *Iurisdictio*. Spirituali autem Ecclesiæ iurisdictioni, adeoque Censuris subsunt gravium criminum *rei quicumque* veniunt in Christianorum censum (1).

Censuræ tres numerantur: Excommunicatio, Interdictum, Suspensio, idque omnes commune habent, ut vel a *Iure*, vel ab *homine*, (2) sive Iudice decernantur. Sed præterea inter illas, quæ in Iure habentur expressæ aliæ *latæ sententiæ* dicuntur, quibus quis obstringitur *ipso facto*, idest statim ac crimen sub censura vetitum consummaverit: aliæ autem *ferendæ sententiæ* (cuiusmodi sunt omnes Censuræ ab homine), quæ licet Iure decretæ, Iudicis tamen sententiam, declarationemve desiderant. Porro quæ latæ, quæve ferendæ sententiæ haberi debeant, ex formulis, quibus eæ decernuntur iuxta superius traditam Iuris Regulam, haud ægre colligitur.

Animadvertendum demum est Episcopos nullam censuram hominis, vel Iuris incurrere ob damni

(1) Vid. Tit. *de Rapt.* Lib. 2.

(2) Ut censura ab homine per sententiam particularem licite feratur duo sunt necessaria; primo, ut fiat tria monitio cum intervallis, ita ut una praecedat aliam duorum saltem dierum spatio. Ex urgenti tamen causa una sufficere potest pro tribus cum intervallis antequam reus excommunicetur; vel etiam sine intervallis si necessitas exigat. Secundo vero oportet ut fiat in scriptis, et causa censurae exprimatur; et reo petenti tradatur huiusmodi scripturae exemplum infra mensem. *Cap. 9. de sentent. excommun. in VI. et Cap.* 1. *eod. tit.* Ad censuram vero ab jure sufficit ut Lex, seu statutum sufficienter promulgatum sit.

periculum, quod inde in Ecclesiam redundare potest, nisi nominatim exprimantur (3). Hæc de censuris generatim: nunc singnlas persequamur.

Excommunicatio, ut fert ipsa vis nominis, *est a sacrarum rerum communione segregatio*, *et exclusio* (4). Excogitari possunt igitur tot Excommunicationis veluti gradus, quot et sunt ecclesiasticæ communionis: ac proinde cultiores nostri Iuris interpretes in veteribus publicæ pœnitentiæ ordinibus totidem agnoscunt *medicinalis* excommunicationis species. Sed et erat *mortalis* excommunicatio, quæ et *omnimoda separatio*, et *anathema* dicebatur, in graviorum criminum reos, et in illos qui pœnitentiam detrectarent, comparata; ii siquidem *execrati*, atque ab Ecclesia eiecti penitus ab omni fidelium consortio excludebantur.

Nunc excommunicatio alia *maior*, alia *minor* appellatur. *Minor excommunicatio est, per quam aliquis a suscipiendis Sacramentis, obtinendisque Be-*

(3) Cap. *Quia periculum* de Sent. Exc. in 6.

(4) Excommunicationes, sive a sacris ejectiones apud omnes ferme gentes religiosas in usu fuerunt. Par enim erat ut sacris ejicierentur, qui iuxta receptae religionis regulas non vivebant. Eiectio autem a sacris interdum etiam commercio civili privabat. Apud Iudeos duplex erat excommunicationis species; *minor* nempe a Rabbinis *Niddui* dicta, qua a Synagoga delinquens prohibebatur ad tempus, altera vero *maior*, quae *Chere* dicebatur, et omnino a communione Reipublicae exturbabat. Apud Graecos vero homicidae, adulteri, detrectantes militiam, aliique criminosi arcebantur a templis, et sacris. Apud Romanos aqua, et igni interdicti, et a Sacris, et a civili commercio excludebantur. Caesar autem *de bello Gallico* testatur Druidas apud Gallos solitos fuisse ejicere scelestos religioso et civili commercio.

neficiis arcetur, eamque contrahit qui cum homine maiori excommunicationi subiecto extra crimen communicat. Nam qui criminis particeps est, et ipse maiori excommunicatione implicatur (5). *Maior excommunicatio est, quæ hominem prorsus eiicit ab Ecclesia, atque a societate, et communione Christianorum*. Hæc excommunicatio *Anathema* proprio nomine appellatur, cum in ea ferenda publicæ, ac solemnes cæremoniæ adhibentur, quæ pœnam augent non vi separationis, sed horrore solemnitatis (6). Excommunicato enim, ut habet vulgatus versiculus,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Præceptum autem interdicendi criminosis omne tam in sacris, quam in civilibus rebus consortium a Christo ipso, atque Apostolis accepit Ecclesia (7), ut qui verbum Dei, et Ecclesiam ipsam non audiunt pudore afficiantur, et resipiscant; ac ne boni scelestorum commercio corrumpantur. Has ob caussas adversus eos, qui cum huiusmodi excommunicato communicant, minor est excommunicatio constituta.

Nunc tamen viget celeb. Martini V. Constitutio *Ad evitanda scandala*, per quam impune licet cum excommunicatis non expresse denuntiatis, nisi agatur de notoriis violatoribus Canonis *Siquis suaden-*

(5) Cap. 29., et 55. h. T.
(6) Can. 106. XI. Q. 3. Vid. Pontificale Rom. h. T.
(7) Paul. 1. ad Corinth. C. 5. 2. ad Thessal. C. 3.

te, etc. (8) communicare (9). Hinc ortum discrimen inter excommunicatos *vitandos*, *et tolleratos*, et inde illorum, non autem horum vetita communio est. Quin immo et cum vitandis communicare sinunt

Utile, *Lex*, *Humilis*, *Res ignorata*, *Necesse*.

Legis nomine venit coniugale consortium; Humilis debitam parentibus ac dominis obedientiam, et subiectionem significat: cætera per se satis patent.

Quando autem homini christiano nil gravius potest accidere, quam ut ab omni iure per Baptismum quæsito decidens ab Ecclesiæ corpore penitus ab-

(8) Olim omnes excommunicati erant *vitandi*. Sed ex constitutione Martini V. supra relata, a Concilio Constantiensi, teste Sancto Antonino, approbata, et jampridem ubique observata, atque ex praesenti Ecclesiae consuetudine, ii solum sunt *vitandi* qui per sententiam Iudicis Ecclesiastici *nominatim* declarati sunt excommunicati, et publice denuntiati, et etiam notorii percussores Clericorum, quorum percussio publica nulla possit tergiversatione celari, nec ullo juris suffragio excusari, etiam si denuntiati non sint. Negari certe non potest, juxta bullam Leonis X. de concordatis a Concilio Lateranensi V. approbatam, omnes esse vitandos, quos notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Sed bulla Martini V. ex consuetudine praevalet. Nihilominus notandum est Martini V. Constitutionem nullum favorem concedere toleratis, adeoque eos ut antea a communibus Ecclesiae suffragiis excludi. Hinc excommunicatus etiam toleratus, et occultus peccat communicando cum fidelibus in rebus sacris vel prophanis, cum Leo X. in citata bulla expresse declaret, se per suum decretum non intendere excommunicatos, suspensos, et interdictos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

(9) Mandantes, consentientes, consulentes Clerici percussionem, effectu secuto, excommunicationem citati Canonis incurrunt; et etiam non impedientes, si ex officio impedire teneantur, vel si id facere potuerint, absque damno et periculo suo, et dolose permiserint; quod patet ex *Cap. 47. de Sentent. excommunic*. Idem sentiendum est de eo qui ratam haberet percussionem suo nomine factam, etiam si non consuluerit nec mandaverit. Cap. 23. *de sentent. excomun. in VI.* ut colligi facile potest etiam ex Regula juris: *ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium compararari*.

scindatur; profecto non est excommunicatio maior temere, aut levibus ex rebus incutienda, sed sobrie, ac magna circumspectione adhibendus hic spiritualis gladius est, quo impii necantur, ne perniciem potius afferat, quam salutem (10). Oportet itaque cum ut crimen, quod eo plectitur grave sit, atque atrox, tum ut reus contumacem ac rebellem in Ecclesiam se ostendat, dicente Christo D. *Si Ecclesiam non audierit* etc. quæ tamen contumacia a Lege ipsa in censuris latæ sententiæ (11) satis induci videtur. At si de excommunicatione agatur per Iudicem inferenda ex Trid. Synodo censuram hanc praecedere debent monitiones saltem duæ, et iure communi tres, licet in Rom. Pontificali, quo utimur, de quarta quoque fiat mentio.

(10) Trid. C. 3. *ses.* 25. *de Ref.*

(11) Excommunicationes latae sententiae recens inventas, et per decem saecula omnino Ecclesiae ignotas fuisse affirmat Wan-Espenius I. E. U. *Port.* 3. *Tit.* 11. *Cap.* 6. *num.* 19. Sed Ecclesiasticarum rerum minus peritis imposuit doctus hic Canonista, et sua eum fefellit opinio, ut pluribus veterum Conciliorum decretis, et praecipue Toletani IV. an. 638. erudite demonstrat Benedictus XIV. *de Syn. dioeces. Lib.* X. *Cap.* 1. *num.* 6. Tres autem fuisse olim maioris excommunicationis species constat. Prima excommunicatio *simplex* vocabatur; altera dicebatur *anathema*; tertia vero *maranatha*. Simplex excommunicatio ab anathema in hoc tantummodo differebat, quod illa solo verbo proferebatur, anathema vero quadam solemnitate pronuntiaretur, et certis adhibitis ceremoniis, ad sceleris ostendendam gravitatem. Maranatha autem hoc anathemati addebat, ut excommunicatus solius Dei iudicio relictus ab Ecclesiae communione separatus permanere juberetur usque ad Domini adventum, nempe ad Iudicii diem. *Anathema* enim vox graeca execrationem et maledictionem significat; *Maran-Atha* vero est vox Hebraeo-Syriaca, quae idem sonat ac: *Dominus noster venit Iudex*; utrumque vocem legimus apud D. Paulum Apostolum in *Epist.* 1. *ad Corinth. Cap.* 16. *v.* 22.

Cæterum legitimi Pastoris et Iudicis sententia sive iusta, sive iniusta timenda est, nisi de iniustitia evidenter constet (12). Præterea nullibi sua pœna reum deserit, atque una est Sanctorum communio; unde a cæterisomnibus extra eius diœcesim Ecclesiis *non toleratus* vitari debet: atque ob id vetus mos adhuc viget ut encyclicæ literæ, latæ excommunicationis testes ad proximos saltem Episcopos dirigantur (13).

Interdictum est censura, vel pœna, qua certus personarum numerus, aut certus locus privatur solemnitate divinorum officiorum, participatione quorumdam Sacramentorum, et ecclesiastica sepultura. Huius exemplum aliquod (14) nobis D. Basilius reliquit, qui plures raptores cum suis familiis, et integrum vicum, quorum homines opem crimini præstiterant, excommunicatione percussit. Hinc non solum a Pontificibus Max. et Episcopis decreta Interdicta aliquando in historia legimus; sed a Iure quoque profertur in Civitatem, quæ prædas adversus Ecclesiam permiserit, vel si vexarit S. R. E. Cardinalem, aut proprium Episcopum, aut vexantibus opem, consiliumque præbuerit (15), vel si Civitas, ubi electio Pontificis Max. celebranda esset,

(12) Vid. Io. Devot. not. h. T. §. 13.
(13) Vid. Pontificale Rom.
(14) Epist. 14.
(15) Cap. ult. *de poenis* in 6. Clem. 1. *de poenit.*

neglexerit præscripta in Cap. *Ubi periculum* de Elect. in VI. (16).

Est igitur interdictum locale, personale, et mixtum: *Locale* dicitur cum locus solus interdicitur; *Personale*, quo personæ tantum afficiuntur; *Mixtum* locum simul, atque personas complectitur. Eorum discrimen est, quod interdicto loco licebit iis, qui culpa vacant, extra locum participare divinis; interdictis vero personis, tam in proprio, quam in alio loco Sacramentorum, et divinorum usus prohibetur singulis (17). Aliud discrimen est, quod interdicta civitate aliqua, vel castro, aut villa, suburbia simul, et continentia ædificia interdicta censentur (18). Interdicto vero clero, non comprehenditur ea pœna populus, neque interdicto pupulo clerus interdicitur.

Quamvis autem Interdictum locale tollat e locis administrationem Sacramentorum, et divinorum celebrationem; tamen certis temporibus, certisque modis, humanitatis causa, severitas ista relaxatur.

(16) Interdicti generalis censura inducta fuit ab Ecclesia, ad Superioris loci alicujus contumaciam compescendam, ut ipse qui ob Dei amorem ab aliqua iniusta actione desistere nolit, tandem ab ea recedat, et Ecclesiae pareat praeceptis, perterritus clamore plebis, quae eius malitiam non ignorans, Missae Sacrificio privatur; ut praeter exempla, de quibus supra, locum habet etiam, si propter discordiam patronorum, Ecclesia careat administratore; tunc enim, ut cavetur in *Cap. 1. et 2. de Iure patronat.* cessatur in Ecclesia a divinis, reliquiae Sanctorum auferuntur, et ostia clauduntur, donec ad concordiam redeant, et canonice Ecclesiae provideant.

(17) Cap. *Si Sententia* h. T. in 6.

(18) Cap. *Si Civitas* eod.

Unde permittitur Baptismus, Confirmatio, Poenitentia, atque Eucharistia per modum viatici, confectio sacri Chrismatis in Coena Domini (19). Item Missae sacrificium, aliorumque divinorum officiorum celebratio submissa voce, ianuis clausis, et campanis tacentibus, amotisque solemniis omnibus; quae solemnia restituuntur tantum diebus festis Natalis D., Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis: eaque indulgentia extensa etiam est ad solemnitatem Corporis Christi, et eius octavam per Bullam Eugenii IV. et Martini V. Atque haec sapientissime constituta sunt, ne interdicti rigor, ac diuturnitas ea pariat incommoda, quae in celebri Cap. *Alma Mater, hoc Tit. in VI.* Bonifacius Octavus commemorat.

Porro qui sciens prudens celebrat in loco interdicto, est irregularis, adeo ut a solo Pontifice Max. possit absolvi. Etiam Regulares interdictum violantes excommunicatione puniuntur; iique censuras, et interdicta ne dum a Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis emanantia in suis Ecclesiis publicare, ac servare tenentur (20).

Censurae, de quibus diximus, sunt laicis, clericisque communes. At *suspensio*, quae olim *abstentio* dicebatur est censurae genus, *quo clericis ob proprium crimen officium clericale, aut beneficii*

(19) Cap. *Quoniam* h. T.
(20) Trid Cap. 12 *de Regul. et Monial.* Ses. 25.

administratio, *aut utrumque simul interdicitur*. Officium autem ordinem pariter, et Iurisdictionem complectitur; beneficium ad reditus beneficii percipiendos, cæterasque ab eo pendentes utilitates tantum pertinet. Quamobrem ex tradita Iuris Regula suspensus a Beneficio retinet officii exercitium; itemque suspensus ab ordine exercere potest ea, quæ sunt iurisdictionis, ac vicissim, nisi hæc inter se necessario, atque indivulso vinculo coniungantur.

Interdum etiam aliquis pro parte, puta ab excipiendis confessionibus suspenditur, et is quidem cætera omnia recte gerit, quæ non sunt in suspensionis sententia comprehensa. Suspensio hæc *partialis* dicitur, cui *plena* seu *generalis* opponitur, qua cum officium, tum Beneficium continetur.

Suspensio non ita gravem requirit culpam, quam excommunicatio vel interdictum postulant. Quæ causa exprimenda est in scriptis, quibus suspensio *sententiæ iudicialis ad instar* infligitur (21). Verum in suspensionibus latæ sententiæ lex ipsa Iudicis loco est, quarum habes exempla in Trid. Synodo (22). Ab uno autem proprio Episcopo suspensus Clericus, tamquam suspensus ab omnibus habendus est, quemadmodum de Excommunicato diximus, donec legitime absolvatur.

Indicta ad certum tempus suspensio, eo elapso,

(21) Cap. 1. *de Sent. Exc.* Bened XIV. de Syn. D. L. 12. C. 8.
(22) Sess. 24. *C.* 1. *et* 6. *de Ref. Matr.*

expirat ipso iure, neque opus habet hominis sententia, a qua removeatur. Sed suspensio, quæ nullo definito tempore inflicta est relaxatione Iudicis indiget, quod non fit, nisi reus resipuerit.

Numquam autem suspensio, quamquam nullo certo tempore obstricta sit, spem veniæ, ac restitutionis excludit; in eoque differt a depositione, quæ perpetuam *suapte natura*, ac sine ulla spe veniæ exercitii, atque usus ordinum privationem inducit. Accedit, quod clerici a sacris officiis, aut ecclesiasticis stipendiis suspensi dignitatem, et beneficium non amittunt, sed tantum privantur fructibus beneficii, aliisque inde pendentibus, suique ordinis, ac dignitatis munera exercere prohibentur. Verum deposititio non solum clericum ab omni munere ordinis, ac beneficii repellit, sed eum etiam officio, et beneficio omnino privat, titulumque aufert, ita ut ad illud sine nova collatione redire nequeat.

Clericus suspensus, si quo interim fungatur munere, unde prohibitus est, irregularis efficitur (23). Nullam tamen irregularitatem contrahit, si quid gerat eorum, quæ ab ordine necessario non pendent, et id porro gerat non ex officio clericali, ac solemniter, sed tamquam laicus quilibet, uti sunt quædam minorum ordinum munera, quæ in Eccle-

(23) Cap. 1. *de Sent et Re iud. in VI.*

siis ex recepta consuetudine etiam a laicis exerceantur (2).

Restat nunc, ne quid ad censuras quod attinet, desideretur, ut aliquid de Absolutione attingamus.

Itaque cum rei satis comperta emendatio est (25), Censura per *absolutionem* tollitur, quæ spiritualis Iurisdictionis actus est, et *relaxatio*, *pax*, *venia*, *communio* a Sacris Canonibus appellatur. Quare si *ab homine* lata sit, idem Iudex absolvit, vel ab eo delegatus, vel in eius iurisdictionem successor, vel post interpositam appellationem cognita causa Superior. Hic vero per V. Canonem Nicænum erat olim Provinciæ Synodus bis anno quolibet celebranda, Gratiani autem ævo Metropolitanus, aut Primas, ac demum Rom. Pontifex (26): quæ disciplina confirmata est in Cap. 7. §. *Sane de Sent. Exc.* in VI., quod præstat consulere.

Quod si censura *Juris* sit, eo ipso quod Conditor Canonis sibi eam non retinuit, proprio Episcopo, vel Sacerdoti ad excipiendas confessiones idoneo illam relaxandam concessisse videtur (27).

A reservatis vero censuris nemo præter mortis periculum potest absolvere, nisi qui a Reservante facultatem obtinet sive sit R. Pontifex, sive Episco-

(24) Vid. Fagn. C. 2. Num. 15. etc. *de Cler. excom. ministran.*
(25) Can. 33. C. 23. Q. 4.
(26) Can. 35. C. 2. Q. 3.
(27) Celeb. Cap. *Nuper de S. Exc.*

pus, qui eas sibi reservaverit. At hæc facultas a Tridentina Synodo (28) facta est Episcopis in casibus *occultis* Sedi Apostolicæ reservatis *in foro conscientiae* tam per se ipsos, quam per Vicarium *specialiter* deputatum exercenda, si, ut alibi adnotavimus, hæresim occultam excipias (29). Quod pariter intelligendum de Sacerdotibus, quibus singulari beneficio eadem facultas conceditur.

In externo igitur Foro requiritur expressa Summi Pontificis delegatio. Sed et a publicis R. Pontifici reservatis censuris recte absolvit Episcopus, si rei ob ætatem, sexum, aliamve iustam ob causam adire Pontificem, vel eius Legatum nequeant. Ac impuberes quidem, fœminæ, senes, pauperes perpetuo excusantur: cæteri dum absolvuntur, monendi sunt, ut cessante impedimento Pontificem adeant. Absolutionis ritus in Rom. Pontificali prostant.

Ex dictis colligitur absolutionem variis modis fieri, nempe vel *simpliciter*, quæ qualis sit per se patet, vel ad *cautelam*, vel ad *reincidentiam*. Ad *cautelam* dicitur, quæ datur ad maiorem cautio-

(28) Ses. 24. C. 6. *de Ref.*

(29) In generali potestate absolvendi a casibus Papae reservatis, absolvendi potestas ab haeresi inclusa non intelligitur, ne tempore quidem jubilei, nisi specialiter exprimatur. Ita declarasse dicitur Alexander VII. die 23. Martii 1656. idque stylo, usuque Romanae Curiae confirmatur, qui hoc in casu vim legis habet. Nam in generali concessione ex regula 81. in VI. non contineri videtur haec specialissima ab haeresi absolvendi potestas. In articulo mortis autem (tunc enim omnis reservatio cessat) seu in probabili mortis periculo, veluti in pugna, vel in periculosa navigatione Sacerdos quilibet potest absolvere ab haeresi.

nem, ut omnis, quæ forte esse potest, dubitationis causa tollatur. Ea porro adhibetur in omnibus rescriptis, Bullisque Apostolicis, ne quid impedimento sit, quominus concessa gratia vim, et exitum habeat; itemque a Sacerdotibus, qui Pœnitentiæ Sacramentum administrant sacramentali absolutioni præmittitur, ne propter censuram a Iure illatam, et ignotam inutilis absolutio sit. Denique locus est huic *ad cautelam* absolutioni, cum incertum est, num quis censuram contraxerit, aut cum de vi illatæ censuræ dubitatur (30).

Est et absolutio ad *reincidentiam*, quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut post actum ita absolutus iterum censura implicetur. Quæ absolutio dari solet cum certa lege, videlicet ut lædens intra definitum tempus læso fatisfaciat, aut certa pietatis opera suscipiat. Quæ qui non præstat, nulla iusta causa impeditus, in veterem rursus censuram incidit.

Neque ignota est in Ecclesia quoad vita functos a censuris absolutio. Nimirum si quis moriens ante impetratam pacem certa dedisset poenitentiæ, aut emendationis argumenta, vel eo mortuo appareret iniustas esse censuras in eum latas, tunc ab Ecclesia censuræ ipse removebantur, ut omnibus constaret eum in communione catholica decessisse. Da-

(30) Cap. 40. *de S. Exc.*

batur olim hæc absolutio facto ipso, quia defuncti nomen vel sacris dyptichis restituebatur, vel eius nomine factæ oblationes ab Ecclesia accipiebantur (31). Sed nunc ii, qui morientes censuris solvi non potuerunt, atque ab Ecclesia eo beneficio digni iudicantur, certa precum, ac verborum formula absolvuntur (32).

TITULUS XIII.

De Depositione, ac Degradatione Clericorum.

Sacrorum ministrorum selectio, et consecratio, officiorum distinctio, ac distributio, itemque in rite semel constituta Beneficia *Institutio Canonica* ex hactenus disputatis ad Ecclesiam pertinet. Ex natura igitur recte initæ, ordinatæque societatis consequitur, ut quemadmodum Ecclesia iure proprio po-

(31) Fieri potest ut excommunicatus, qui signa dederat poenitentiae ante acceptam pacem moriatur, vel etiam ut quis post mortem excommunicetur. Quos Ecclesia communione fidelium antiquitus excludebat, illorum nomina a Sacris dyptichis delebantur. Hinc per Concilium Gen. VI. sub Agathone Pontifice factum est, ut de Dyptichis Ecclesiarum ablata fuerint nomina Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, aliorumque, per quos haeresis Monothelitarum universum pervaserat Orientem; et hoc pacto, post mortem etiam excommunicati fuerunt. Mortuorum autem excommunicatio tollebatur, si eorum nomina in Sacris dyptichis iterum restituerentur, et mortuorum nomine oblationes factae ab Ecclesia acciperentur, ut supra dictum est. Quo facto iterum mortuorum nomina in sacris precibus recitabantur, et Ecclesia pro eorum dormitione preces fundebat.

(32) Cap. 28. *de S. Exc.*

test penitus e sinu suo sacrarum legum pervicaces violatores repellere, ac prorsus abscindere; ita potiori iure eadem possit indignos ministros, ne per eos verbum Domini blasphemetur, salvis ut ita dicam, communibus civitatis iuribus, de loco, ac dignitate movere (1). Unde semper in Ecclesia obtinuit ad coercendos Clericos Depositio, et Degradatio; quas inter, ut ut olim indistinctas, atque confusas poenas, iamdiu tamen magnum discrimen interest, quod agnovit Cælestinus III. in cit. Cap. X. *de Iudiciis*.

Nam *simplex Depositio* nunc poena est, qua Clericus *in perpetuum* arcetur vel ab officio, vel a Beneficio, vel ab utroque simul, eo fere modo, quo de suspensione diximus. Simplici ergo depositione damnatus *Clericalem statum* non amittit omnino: adeoque, neque Fori, neque Canonis privilegium.

Contra *Degradatio* poena est, qua quis prorsus a gradu, statuque Clericali ita deiicitur, ut charactere manente, laicus habeatur (2). Quare per degra-

(1) Reg. 1. Iuris in Decretal. Greg. IX.

(2) Ex Antiquis regulis, et disciplina Clerici perpetuo depositi Laicam tantummodo communionem recipiebant, ut ex epistola Syricii Papae ad Himerium Tarraconensem, et ex aliquorum Conciliorum decretis patet. Non una tamen est ut in rebus dubiis semper evenire solet, eruditorum hominum sententia circa hanc Laicam communionem. Nonnulli enim, cum doctissimo Bellarmino docent, fuisse communionem sub una tantum specie. Alii ad laicam communionem redactos putant Clericos, quod depositi Sacram Eucharistiam, non in Sanctuario, sed extra cancellos reciperent inter Laicos. Sed alii rectius cum Albaspineo, Petro de Marca, Cardinali Bona in eam descenderunt sententiam, Clericos deposi-

dationem non evanescit quidem potestas ordinis; cessat tamen eius exercitium, itemque cessant privilegia Clericorum propria; quin tamen ipse possit inire nuptias.

Duplicem degradationem distinquit Bonifacius VIII., (3) *verbalem*, quae etiam *depositio* dicitur, et *realem* sive *actualem*, quae proprie *degradatio* appellatur. *Verbalis* est sententia, per quam Iudex Ecclesiasticus Clericum de gradu dimovet, et laico foro addicit. *Realis* autem est tristis ipse actus, seu funesta caeremonia, qua Episcopus execratoriis formulis latam verbalis degradationis sententiam exequitur (4). Qua caeremonia peracta, degradatus Iudici saeculari traditur, adiunctis tamen precibus, ut quam mitissime tractetur. Hinc intelligitur, ut ab excommunicatione differt anathema, ita a verbali realem degradationem differre.

Olim degradatio Episcopi duodecim Episcoporum iudicium postulabat, Presbyteri sex, Diaconi trium; sed hodie *Episcoporum causas, quae depositione sunt, aut privatione dignae, ab uno Rom. Pontifice* coguosci terminarique iussit Tridentina Synodus (5); Reliqui autem maiores Clerici de gradu deiiciuntur

tos ad communionem laicam fuisse redactos, eo quod deinceps tamquam laici cum Ecclesia communicarent, nullius juris, aut Ecclesiastici officii participes; et hoc in sensu laica communio opponebatur Ecclesiasticae communioni stricte sic appellatae, quae functiones ordinum et clericalia jura complectebatur.

(3) Cap. 1. *de poen.* in VI.

(4) Vid. *de Degrad.* Pontific. Rom

(5) Cap. 5. sess. 24. *de Ref.*

ab Episcopo ad consilium et suffragium accitis (6) Episcoporum loco totidem Abbatibus usum mitræ, et baculi habentibus, sive aliis in ecclesiastica dignitate constitutis, qui et sint *ætate graves*, *et iuris scientia commendabiles* (7). Minores autem Clerici sola Episcopi sententia degradantur: atque item solus quemque poterit Episcopus *a beneficio deponere*, si id consuetudo ferat; de iure tamen scripto *consilium* Capituli, vel ab eo deputatorum requiritur (8).

Quoniam vero quoad Clericos realis degradatio, a qua solus Rom. Pontifex restituit, poena est omnium gravissima; idcirco non infligi, nisi ex gravioribus, atrocioribusque criminibus æquum sane videtur. Talia crimina sunt haeresis, falsificatio literarum Apostolicarum, Assassinium, et cætera huiusmodi, quae Ben. XIV. *De Syn. Dioe. L.* 9. *C.* 6. recenset.

Institutionum Canonicarum compendium, Deo dante, iam absolvimus, Iuvenes ornatissimi. Parum certe e penu nostra depromptum protulimus, nilque reconditum, nil expectatione vestra dignum, nilque cuiquam novum. Id tamen præstitimus ut vestra utilitas, et perspicuitas brevitati, quantum fieri per nos potuit, admisceretur.

(6) Ita Bened. XIV. de Syn. D. L. IX. C. 6.
(7) Ses. 13. Cap. 4. *de Ref.*
(8) Vid. Pontific. Romanum loc. cit.

Finis Libri IV.

ADDITAMENTA

DE REGULIS JURIS

Iuris Studiosos magnopere conducit illas regulas intime cognoscere, quæ sunt veluti fundamenta, et universalia principia Juris Canonici, quæque in Sexto Decretalium Bonifacii VIII. continentur, et hic propterea subiungimus. Sed in iis perlegendis semper habendum præ oculis vulgatum illud: nulla regula sine exceptione. *Hæc exceptio tunc in juris regulis est admittenda, cum vel circa particularem materiam contrarium aliquid per Legem expresse statutum est, vel cum disparitas est rationis, vel diversæ sunt circumstantiæ. Exemplum habes in regula juris Gregorianæ collectionis:* omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur; *quæ exceptionem habet in* matrimonio. *Hoc enim ex mutuo coniugum consensu nascitur, nec tamen per contrarium utriusque dissensum dissolvitur, cum in matrimonio particularis sit*

circumstantia Sacramenti, quod jure divino est indissolubile. Hac de causa circa has regulas, quarum plures ex jure Cæsareo eruuntur, nonnulla existimavi annotanda, quæ ex institutionibus Canonicis Cl. Remigii Maschat, aliisque Scriptoribus fideliter, breviterque collegi.

REGULAE IURIS
EX SEXTO DECRETALIUM

REGULA I.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM NON POTEST LICITE SINE INSTITUTIONE CANONICA OBTINERI.

Hæc regula intelligitur de beneficio in titulum obtento; non tamen in beneficio obtento jure proprietatis et administrationis, et quoad proventus Ecclesiasticos ex certa causa acquisitos, etiam per præscriptionem.

REGULA II.

POSSESSOR MALAE FIDEI ULLO TEMPORE NON PRAESCRIBIT.

Hæc regula corrigit jus Civile, ex quo ad continuationem possessionis non requiritur bona fides, neque ad præscriptionem longissimi temporis triginta, vel quadraginta annorum. Sed jure Canonico debet bona fides perseverare toto tempore ad præscribendum requisito. Nam in Concilio Lateranensi generali IV. Cap. 41. relato in *Cap. ultim. de præscrition.* definitur, *ut nulla valeat absque bona*

fide præscriptio, tam canonica quam civilis, et oportere ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

REGULA III.

SINE POSSESSIONE PRAESCRIPTIO NON PROCEDIT.

Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus, seu juribus. Quare sicut Laicus est incapax possidendi spiritualia, nequit ideo præscribere jus eligendi et confirmandi clericos, sed utique jus patronatus, quia ad hoc Laici ab jure habilitati sunt.

REGULA IV.

PECCATUM NON DIMITTITUR, NISI RESTITUATUR ABLATUM.

Regula valet de omni læsione reparanda, saltem in proposito, si nequeat in effectu.

REGULA V.

PECCATI VENIA NON DATUR, NISI CORRECTO.

In temporalibus poena sæpe dissimulatur, ne maius sequatur malum.

REGULA VI.

NEMO POTEST AD IMPOSSIBILE OBLIGARI.

Impossibilitas est triplex: vel *ex natura* ut hominem volare; sive *de facto*, ut à mendico dari mille aureos; sive *de jure*, seu quod est turpe contra Ius Divinum aut humanum, ut obligari ad furandum in his omnibus valet regula.

REGULA VII.

PRIVILEGIUM PERSONALE PERSONAM SEQUITUR, ET EXTINGUITUR CUM PERSONA.

At privilegium reale inhærens dignitati, vel alteri rei transit in successores. Ius Pallii Archiepiscopalis, quia est personale, non transit ad successorem.

REGULA VIII.

SEMEL MALUS, SEMPER PRAESUMITUR ESSE MALUS.

Hista præsumptio juris est in eodem genere; quia ex malo fieri bonum, est facti; adeoque probari debet ad elidendam præsumptionem. Si autem delictum non præcedat, quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus.

REGULA IX.

RATUM QUIS HABERE NON POTEST, QUOD IPSIUS NOMINE NON EST GESTUM.

Intelligendum in delictis, et in obligationibus, et rebus odiosis; ideo ver. gr. Titius non incurrit excommunicationem canonis, si approbabit factum Caii, qui verberavit Clericum, suo nomine, non vero Titii. Sed regula ista fallit in novo consensu confirmante; nam superior confirmare potest factum alterius, quod per se non haberet vim. Fallit etiam cum jactura rei meæ sequeretur, nisi factum ratum haberem, maxime si æquitas id suadeat; veluti si res mea, non meo nomine vendita periit apud emptorem, possum ratam habere venditionem, ut pretium obtineam ab emptore.

REGULA X.

RATIHABITIONEM RETROTRAHI, ET MANDATO NON EST DUBIUM COMPARARI.

Supplendum est: *ut ratihabitio tunc mandato comparetur, dum quod ratum habeo, meo nomine gestum est*. Valet regula ista in Iudiciis, re quasi integra manente, et etiam in contractibus, et in delictis, saltem in quibus jus ratihabitionem pro mandato habet: sic ratam habens percussionem Cle-

rici suo nomine factam, excommunicatur. At regula fallit. 1. Si ratihabitio sit in præjudicium, et contra jus quæsitum tertii. 2. Si mandatum vel auctoritas ab initio requiratur per modum formæ. 3. Si principalis impeditus fuit a natura ad dandum mandatum, sicut infans. 4. Fallit in rescriptis justitiæ, ad evitandas fraudes. 5. Demum in plerisque delictis, nisi delicta essent pendentia, et ratificans concurreret ad eorum executionem.

REGULA XI.

CUM SUNT PARTIUM JURA OBSCURA, REO FAVENDUM EST POTIUS QUAM ACTORI.

Excipe; nisi actor persequatur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis, et testamenti.

REGULA XII.

IN JUDICIIS NON EST ACCEPTIO PERSONARUM HABENDA.

Nam Iudex in jus dicendo ab iustitia recedens grave committit crimen. In arbritrariis potest aliquando judex gratiosus esse.

REGULA XIII.

IGNORANTIA FACTI, NON JURIS EXCUSAT.

Nam facta cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt. Non excusaret si factum no-

toritum sit in vicinia, vel si ignorantia sit improbabilis et culpabilis. Ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem, quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus, et ultimis voluntatibus etc. Toleratur vero in aliquibus personis uti sunt milites, rustici, pueri, foeminæ, quibus ignorantia juris non nocet in amittendo quod suum est, sed non prodest in lucrando.

REGULA XIV.

CUM QUIS IN JUS SUCCEDIT ALTERIUS, JUSTAM IGNORANTIAE CAUSAM CENSETUR HABERE.

Sic hæres rem defuncto commodatam, vel depositam, putans esse hæreditariam, bona fide vendere potest, et emptor eam usucapere. Valet ista regula pro iis qui conveniuntur, non pro iis qui agunt, quia isti debent esse certi de jure suo.

REGULA XV.

ODIA RESTRINGI, ET FAVORES CONVENIT AMPLIARI.

Odia hic dicuntur *poenæ*, *obligationes*, *privilegia*, et *dispensationes*, quæ adversantur juri communi, et juri tertii, et etiam *privilegia ambitiosa* in beneficiis. *Favores* sunt benevolæ concessiones quæ nulli nocent, neque præjudicant, nisi concedenti.

Aliquando vero *odia amplianda sunt*, si lex aliter habere non possit suum effectum; et contra favores aliquando restringendi, si incipiant esse noxii Ecclesiæ, bono communi, Ecclesiasticæ, et regulari disciplinæ.

REGULA XVI.

DECET CONCESSUM A PRINCIPE BENEFICIUM ESSE MANSURUM.

Sicut jura, ita etiam beneficia Principum convenit esse perpetua (modo sint gratiæ factæ, non tantum faciendæ) uno actu consummata, licet postea causa cesset. Non vero si pendent a causa tractum successivum habente; ut si quis dispensaretur a recitando Breviario ob studia et labores; cessantibus laboribus, et studiis, cessat, vel suspenditur hoc privilegium.

REGULA XVII.

INDULTUM A JURE BENEFICIUM, NON EST ALICUI AUFERENDUM.

Id fieri non potest ab inferiore, sed conditor juris, vel ejus successor beneficia ista tollere vel restringere potest.

REGULA XVIII.

NON FIRMATUR TRACTU TEMPORIS, QUOD DE JURE AB INITIO NON SUBSISTIT.

Intellige: si res maneat in iisdem terminis in

quibus fuit ab initio. Solum tempus ex actu invalido non facit validum; sed si cætera necessaria ad valorem cum tempore concurrant, validus actus esse potest.

REGULA XIX.

NON EST SINE CULPA, QUI REI QUAE AD EUM NON PERTINET, SE IMMISCET.

Exemplum habes: si Clericus exerceat Chirurgiam, fortuito occidat aliquem, tunc non est sine culpa. Ista regula non valet dum quis prudenter, et perite aliena negotia gerenda assumit; quia hæc ad illum pertinent ex charitate et umanitatis officio.

REGULA XX.

NULLUS PLURIBUS UTI DEFENSIONIBUS (*SEU EXCEPTIONIBUS*) PROHIBETUR.

Intellige, nisi lex impediat.

REGULA XXI.

QUOD SEMEL PLACUIT, AMPLIUS DISPLICERE NON POTEST.

Valet hæc regula in Iudice et in Prælato electo, in Matrimonio, Professione religiosa, Sacris Ordinibus, et in aliis pluribus. Sed fallit in iis, quæ mutationem admittunt ex causa superveniente, vel

quæ de novo innotescat, et in omnibus in quibus jus admittit poenitentiam, et mutationem, ut in appellationibus, testamentis, præsentationibus in patrono Laico, et aliis.

REGULA XXII.

NON DEBET ALIQUIS ALTERIUS ODIO PRAEGRAVARI.

Sic propter delictum filii non excommunicatur pater. Tamen interdum ob atrocitatem criminis, vel aliam justam causam poena, vel defectu alius afficitur; sicut filii nati extra matrimonium illegitimitate notantur.

REGULA XXIII.

SINE CULPA, NISI SUBSIT CAUSA, NON EST ALIQUIS PUNIENDUS.

Sequitur ex regula antecedenti. Quandoque autem est causa cur quis sine culpa puniatur. Sic Maritus corruptæ mulieris est irregularis; Dominus tenetur ex delicto servi; Parochus in morbum incidens tenetur portionem aliquam dare Coadiutori.

REGULA XXIV.

QUOD QUIS MANDATO FACIT JUDICIS, DOLO FACERE NON VIDETUR: CUM HABEAT PARERE NECESSE.

Intelligitur Regula de iis, in quibus Iudex habet potestatem. Secus non paretur ei citra dolum;

nam magis Deo quam Iudici malum imperanti parendum est.

REGULA XXV.

MORA SUA CUILIBET EST NOCIVA.

Morosus debitor est qui a die, vel homine interpellatus et solvendi possibilitatem habet, non solvit; unde si post terminum solvendi res casu pereat, suo periculo perit in poenam moræ culpabilis.

REGULA XXVI.

EA QUAE FIUNT A IUDICE, SI AD EIUS NON SPECTANT OFFICIUM, VIRIBUS NON SUBSISTUNT.

Talis enim Iudex etsi bonum statuat, suæ potestatis fines excedens, nihil agit; ut si Laicus favorabiliter disponeret de rebus spiritualibus Ecclesiæ, nihil valeret eius Judicium.

REGULA XXVII.

SCIENTI ET CONSENTIENTI NON FIT INIURIA, NEQUE DOLUS.

Intelligenda est hæc regula de juribus, et rebus privatis quibus aliquis cedere potest; non vero de jure publico, quod privatorum pactis mutari non potest. Itaque Clericus consentire non potest in violationem Canonis *Si qui suadente*, nec Maritus

in violationem thori, quia hæc juri Divino, vel humano adversantur.

REGULA XXVIII.

QUAE A JURE COMMUNI EXORBITANT, NEQUAQUAM AD CONSEQUENTIAM SUNT TRAHENDA.

Sic privilegium præsentandi Laicis concessum non debet trahi da jus nstituendi, eligendi, judicandi de rebus spiritualibus.

REGULA XXIX.

QUOD OMNES TANGIT, DEBET AB OMNIBUS APPROBARI.

Si omnes tangit ut *universos* sub Collegii nomine debet capitulariter ab omnibus, hoc est regulariter a majori parte approbari. Si vero tangit ut *singulos*, requiritur singulorum consensus, cum de jure suo nemo cedere teneatur.

REGULA XXX.

IN OBSCURIS MINIMUM EST SEQUENDUM.

Si non apparet quid determinatum sit neque ex consuetudine aut circumstantiis colligitur, tunc minima obligatio, minima pœna, minima mensura, vel aliud quid minimum in quantitatibus determinandum est: at in speciebus, seu corporibus spectatur mediocritas; præsertim si electio ad credito-

rem pertineat; qui v. gr. ex equis non eliget optimum, nec pessimum, sed civiliter illum, qui inter eos medius est.

REGULA XXXI.

EUM QUI CERTUS EST, CERTIORARI ULTERIUS NON OPORTET.

Quisque præsumitur esse certus de eo, quod publice notum est. Tamen qui certus est ut homo, sæpe certiorari debet ut Judex, vel ad maiorem cautelam. *Can. Multi* 18. *Caus.* 2. *qu.* 1.

REGULA XXXII.

NON LICET ACTORI, QUOD REO LICITUM NON EXISTIT.

Sic appellatio negata reo, etiam actori negatur; et reo plura conceduntur, quam actori, ut maiores dilationes.

REGULA XXXIII.

MUTARE CONSILIUM QUIS NON POTEST IN ALTERIUS DETRIMENTUM.

Sic Canonici voluntatem mutare nequeunt, in præiudicium electi; et venditor in præiudicium emptoris. At si juri quæsito alterius non fit præiudicium, licet mutare consilium; ut in præsentando ad beneficium.

REGULA XXXIV.

GENERI PER SPECIEM DEROGATUR.

Itaque rescripta specialia de hoc beneficio derogant generalibus. Similis derogatio fieri potest in legibus, contractibus, legatis, substitutionibus. Et quamvis in ordinariis casibus specialia semper insint generalibus, in extraordinariis tamen speciali mentione opus habent. Sic dispensatus ad ordines, et dignitates non censetur dispensatus ad ordines majores, sed minores, nec ad Episcopatum, sed ad inferiorem dignitatem; et filius familias, cui donare concessum est, non potest donare causa mortis; sæpe enim genus restringitur ad certam speciem ex subiecta materia.

REGULA XXXV.

PLUS SEMPER IN SE CONTINET QUOD EST MINUS.

Valet regula in *quantitatibus,* quia maior includit minorem; et in sententia arbitrorum. Sed fallit in *generibus,* quæ non semper continent omnes species, et etiam in qualitatibns disparatis. Sic bonus Jurista cum sis, non sequitur te esse bonum rethorem; item fallit regula in mandatis, ubi forma diligenter observari debet, ne plus aut minus fiat.

REGULA XXXVI.

PRO POSSESSORE HABETUR QUI DOLO DESIIT POSSIDERE.

Ius fingit aliquem possidere, qui non possidet. En exemplum. Titius Cajo abstulit vestem, et ne cogeretur forsan eam restituere, vendidit illam cuidam peregrino. In hoc casu Caius contra Titium agere potest actione *ad exhibendum*, et *rei vindicatione*, ac si Titius vestem possideret, cum dolus sit loco vestis; sed si res ipsa restitui nequit, actio ista est *condictio* ad *æstimationem*, ut Titius tantum præstet, quantum vestis æstimatur.

REGULA XXXVII.

UTILE NON DEBET PER INUTILE VITIARI.

Quia abundans cautela non nocet. Valet regula in his, quæ divisionem, et separationem admittunt. Sic testamentum, legatum valere potest in una re, et non in altera; et donatio, fideiussio, promissio dotis valet quoad legitimam summam, et corruit quoad excessum. Si vero utile, et inutile sint contraria inseparabilia, et substantiale vitium, seu errorem in se contineant, tunc regula minime valet.

REGULA XXXVIII.

EX EO NON DEBET QUIS FRUCTUM CONSEQUI, QUOD NISUS EXTITIT IMPUGNARE.

Impugnasti testamentum, non capies ex eo legatum, sed si ex officio tenebaris impugnare, tunc ut persona privata fructum ex re impugnata potes accipere.

REGULA XXXIX.

CUM QUID PROHIBETUR, PROHIBENTUR OMNIA, QUAE SEQUUNTUR EX ILLO.

Sic privatus officio, privatur etiam beneficio, quod propter officium datur. Ex hac regula excipienda sunt ea, quæ fieri prohibentur, sed facta tenent, et effectus qui sequuntur ex illis boni sunt. Sic contrahens cum altera de præsenti, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro, licite utitur matrimonio.

REGULA XL.

PLURALIS LOCUTIO DUORUM NUMERO EST CONTENTA.

Intelligendum est si determinatus numerus non exprimatur. Ita cum dicitur celebrari missa coram pluribus sufficit dualitas. Observandum, in odiosis et ambitiosis pluralem numerum ad duo restringi, ut si quis ad plures præbendas dispensetur, vel di-

gnitates, tantum ad duas dispensatus censetur. Nota demum numero plurali aliquando intelligi singularem, ut faciunt Principes qui plurali utuntur; et e contra singulari numuro intelligi pluralem ut *filio meo tutorem do:* hoc est omnibus filiis.

REGULA XLI.

IMPUTARI NON DEBET EI, PER QUEM NON STAT, SI NON FACIAT, QUOD PER EUM FUERAT FACIENDUM.

Valet regula de imputatione ad poenam, vel amissione juris proprii, ut si per te non stet quod intra annum appellationem non prosequaris, quia impedito tempus non currit. Sed aliter dicendum in lucris, et favoribus conditionatis, si ab eventu conditionis pendeant; v. gr. qui hodie missam pro defuncto dixerit aureum accipiet. Non potuisti dicere, nil tibi debetur.

REGULA XLII.

ACCESSORIUM NATURAM SEQUI CONGRUIT PRINCIPALIS.

Si matrimonium non subsistit, nec dos subsistit. Item potestas executiva gratiæ factæ non expirat morte concedentis, sicuti gratiæ faciendæ; quia in priori casu potestas est accessoria, in altero vero principalis. Sed tamen accessorium valet aliquando

ob rationem specialem, quamvis principale deficiat, ut iuramentum circa usuras solvendas, et legata maxime pia, quamvis testamentum sit invalidum.

REGULA XLIII.

QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR.

Tacens videtur consentire in meris favorabilibus quæ nullum onus afferunt tacenti, sed minime in favorabilibus, quæ onus annexum habent, ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus. In odiosis vero, et quæ sibi sunt præjudicio, non videtur regulariter tacens præbere consensum. In odiosis autem dum potest, et debet contradicere, et non contradicit, habetur pro consentiente et confitente. Si vero non potest facile prohibere, et cum effectu contradicere, non censetur consentire: hoc modo enim multa patienter tolerant Papa, Episcopi, et Prælati Regulares, ne mala majora sequantur.

REGULA XLIV.

IS QUI TACET NON FATETUR, SED NEC UTIQUE NEGARE VIDETUR.

Hæc regula contraria videtur regulæ præcedenti, ubi ex taciturnitate dicitur præsumi consensus. At in præcedenti regula proprie sermo est de consensu ex taciturnitate præsumpto, et in præsenti tantum

de confessione, et negatione. Procedunt igitur istæ circa diversos terminos, ideoque nullam inter se contrarietatem habent. Sensus huius regulæ est ex sola taciturnitate non induci præsumptionem affirmationis, aut negationis, si tamen nulla detur in contrarium fortior coniectura, seu particularis circumstantia taciturnitatis, unde appareat interpretandam esse taciturnitatem pro affirmatione, vel negatione; ut si ad duo tibi obiecta respondeas negando unum, et tacendo de altero, vel contra; in hoc casu taciturnitas tua super uno obiecto solum, quando negas aliud, accipitur pro *confessione;* et taciturnitas de uno obiecto, quando aliud affirmas, accipitur pro *negatione*.

REGULA XLV.

INSPICIMUS IN OBSCURIS, QUOD EST VEROSIMILIUS, VEL QUOD PLERUMQUE FIERI CONSUEVIT.

Id valet in factis plerumque pro ut communiter fieri solent. Sic votum, matrimonium, sponsalia, delicta deliberato animo facta fuisse præsumuntur.

REGULA XLVI.

IS QUI IN JUS SUCCEDIT ALTERIUS EO JURE QUO ILLE, UTI DEBEBIT.

Iura activa et passiva ratione rei, contractus, ma-

leficii, voti realis transeunt in hæredem universalem; at successor singularis succedit plerumque in sola jura realia quæ rei cohærent, non vero personalia, nisi aliunde id colligatur.

REGULA XLVII.

PRAESUMITUR IGNORANTIA, UBI SCIENTIA NON PROBATUR.

Hoc verum est in factis contingentibus, quæ quis scire non tenetur, ut si percutias Clericum, Clericali habitu non indutum. At contra circa jura et leges, circa notoria et publica, et ea quæ quis scire et indagare tenetur, præsumitur scientia ubi non probatur ignorantia.

REGULA XLVIII.

LOCUPLETARI NON DEBET ALIQUIS CUM ALTERIUS INIURIA, VEL JACTURA.

Sic pupillus et minor si facti sunt locupletiores tenentur ex contractu: nisi tamen aliquibus ex causis locupletationem jus concedat, ut in usucapionibus.

RRGULA XLIX.

IN POENIS BENIGNIOR EST INTERPRETATIO FACIENDA.

Sic doctor collegio privatus, sine temporis determinatione, non censetur privatus perpetuo.

REGULA L.

ACTUS LEGITIMI CONDITIONEM NON RECIPIUNT, NEQVE DIEM.

Valet regula de illis actibus, quibus ex natura rei, vel juris dispositione adversatur conditio aut dies, ut emancipatio. In jure Canonico suut regulariter Sacramenta, et sacramentalia, veluti consecratio Ecclesiæ, et Calicis. Excipitur matrimonium, quod potest recipere conditionem, dummodo non sit contraria matrimonii substantiæ. Pariter electio, postulatio, collatio beneficii, et alii actus sunt, quos Ecclesia vult esse absolutos.

REGULA LI.

SEMEL DEO DICATUM NON EST AD USUS HUMANOS ULTERIUS TRANSFERENDUM.

Religiosus, Calices, et alia sacra non sunt ad prophanos usus retrahenda, nisi aliter suadeat pietas, et necessitas.

REGULA LII.

NON PRAESTAT IMPEDIMENTUM, QUOD DE JURE NON SORTITUR EFFECTUM.

Sine effectu aliquid fieri, et omnino non fieri, idem est; v. gr. matrimonium prius invalidum non obest secundo. Non valet tamen regula in iis, ui quibus de jure attentatio sola sufficit, opere secuto; et ita Sacerdos suspensus invalide assolvens fit irregularis.

REGULA LIII.

CUI LICET QUOD EST PLUS, LICET UTIQUE QUOD EST MINUS.

Verà est regula in juribus, et potestatibus subordinatis, quarum superior continet in se inferiorem. Non vero in juribus et potestatibus disparatis; v. gr. Sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus, non tamen ordinare clericos, aut Ecclesias consecrare, quod est minus.

REGULA LIV.

QUI PRIOR EST TEMPORE, POTIOR EST JURE.

Vera est regula in pignoribus, et aliis contractibus, et in data rescriptorum; sed fallit si superveniat potior privilegiatus, et etiam in testamentis,

légibus, statutis, quia posteriora potiora sunt prioribus.

REGULA LV.

QUI SENTIT ONUS SENTIRE DEBET COMMODUM, ET E CONTRA.

Excipe nisi quis privilegio eximatur ab onere; ut pupillus, et foemina vocantur ad commodum hæreditatis; non tamen ad onus tutelæ.

REGULA LVI.

IN RE COMMUNI POTIOR EST CONDITIO PROHIBENTIS.

Explica de re communi pluribus, ut singulis. Sit exemplum: decem habent agrum communem in quo novem volunt constituere servitutem Titio. Decimus reclamat. Conditio huius utpote prohibentis est potior. Si tamen nullum sit præjudicium prohibentis, eius prohibitio non valet.

REGULA LVII.

CONTRA EUM QUI LEGEM DICERE POTUIT APERTIUS, EST INTERPRETATIO FACIENDA.

Hic nomine legis venit lex privata, seu conventio contrahentium, quæ in præjudicium proferentis intelligi solet.

REGULA LVIII.

NON EST OBLIGATORIUM CONTRA BONOS MORES PRAESTITUM JURAMENTUM.

Si jures patrem occidere, vel furari, vel aliud contra bonos mores, juramento non teneris, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Si autem mores mali sint tantum civiliter, v. gr. ne dos alienetur, juramentum super tali alienatione valet.

REGULA LIX.

DOLO FACIT, QUI PETIT, QUOD RESTITUERE OPORTET EUMDEM.

Dummodo restitutio sit certa, eidemque facienda. Sic usurarius dolo petit usuras, quia illas statim restituere tenetur.

REGULA LX.

NON EST IN MORA, QUI POTEST EXCEPTIONE LEGITIMA SE TUERI.

Sic munitus exceptione moratoria, si termino præfixo non solvat non dicendus in mora.

REGULA LXI.

QUOD OB GRATIAM ALICUIUS CONCEDITUR, NON EST IN EIUS DISPENDIUM RETORQUENDUM.

Ex. caus. minor sine auctoritate tutoris non potest contrahere, vel agere; si tamen pro suo favore est contractus vel sententia, privilegium ei obesse non debet: excipe casum in quo Princeps ad instantiam petentis aliquid concedat.

REGULA LXII.

NULLUS EX CONSILIO, DUMMODO FRAUDULENTUM NON FUERIT, OBLIGATUR.

Nemo enim sequi tenetur alterius consilium. At mandans tamquam causa moralis tenetur actione mandati.

REGULA LXIII.

EXCEPTIONEM OBIICIENS NON VIDETUR DE INTENTIONE ADVERSARII CONFITERI.

Nisi alias de re aliqua confessus fuisset, quare is qui excipit dicendo: *jam solvi*, non confitetur se mutuam pecuniam accepisse, quia solutio potuit esse de facto, et per errorem; sed sensus est = *Si actor probaverit me mutuum accepisse, ego probabo exceptionem meam, quod solverim* =.

REGULA LXIV.

QUAE CONTRA JUS FIUNT, DEBENT UTIQUE PRO INFECTIS HABERI.

Hæc regula sic intelligenda. 1. Quæ fiunt contra jus expresse irritans, ipso iure sunt nullæ. 2. Quæ fiunt contra jus prohibens quod tacite et virtualiter est irritans, puta, dum actui præscribit formam substantialem, sunt pariter ipso jure nulla. 3. Quæ vero fiunt contra jus pure prohibens, ipso jure valent, et regulariter sunt nulla tantum quoad effectum, quia rescindi, et exceptione elidi possunt. Annotandum tamen nonnulla ex natura sua esse insolubilia, ut matrimonium, et professio religiosa, et sunt perpetuo firma quamvis illicite fiant: multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent firmitatem.

REGULA LXV.

IN PARI DELICTO VEL CAUSA, POTIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS.

Hoc est privilegium speciale possessionis, tam in delicto quam in causa: excipiendus est casus in quo jus possidenti resistat, et petitori faveat.

REGULA LXVI.

CUM NON STAT PER EUM AD QUEM PERTINET, QUOMINUS CONDITIO IMPLEATUR, HABERI DEBET PERINDE AC SI IMPLETA FUISSET.

Nam ex parte illius fingitur impleta conditio.

REGULA LXVII.

QUOD ALICUI SUO NON LICET NOMINE, NEC ALIENO LICEBIT.

Vera est regula in maleficiis; quia sicut tibi non licet nomine tuo furari, nec licebit nomine alieno, nec in alterius commodum. Secus accidit in delegationibus honestis; quia licet nomine tuo nequeas judicare, poteris ex delegatione nomine Papæ, Episcopi etc. nisi sis incapax.

REGULA LXVIII.

POTEST QUIS PER ALIUM, QUOD POTEST FACERE PER SE IPSUM.

Valet regula in actionibus, quæ ex natura delegari, et mandari possunt, ut judicare per alium, matrimonium contrahere, non vero in actionibus personaliter exercendis; non enim potest per alium audire Missam, vel jejunare. E contra aliquando *po-*

test quis per alium, quod non potest per se ipsum; cum id non deceat ratione rei, causæ, vel personæ. Episcopus judicium sanguinis per se non posset exercere, sed utique per alium.

REGULA LXIX.

IN MALIS PROMISSIS FIDEM NON EXPEDIT OBSERVARI.

Nam sicut promittere, ita exequi mala peccatum est.

REGULA LXX.

IN ALTERNATIVIS DEBITORIS EST ELECTIO, ET SUFFICIT ALTERIUM ADIMPLERI.

Promisi tibi equum, vel librum; ego debitor eligam, et dando unum ex duobus, implebo meam promissionem. Interdum ex mente disponentis servandus est ordo in alternativis, et quandoque creditoris est electio, dum verba ad eum diriguntur; v. gr. Titius unum ex meis equis sibi accipiat.

REGULA LXXI.

QUI AD AGENDUM ADMITTITUR, EST AD EXCIPIENDUM MULTO MAGIS ADMITTENDUS.

Minus enim est exceptio, quam actio. Excipe tamen *nisi exceptio* in diversum quid tendat.

REGULA LXXII.

QUI FACIT PER ALIUM, EST PERINDE AC SI FACIAT PER SE IPSUM.

Vide *Regulam* 67; hinc quod jussu alterius solvitur, est idem, quasi ipsi solutum esset.

REGULA LXXIII.

FACTUM LEGITIME RETRACTARI NON DEBET, LICET CASUS POSTEA EVENIAT, A QUO NON POTUIT INCHOARI.

Valet regula in actibus perfectis et consummatis, ut in matrimonio, cui superveniens impedimentum non nocet; sed fallit in actibus successivam causam habentibus, ut si ex causa infirmitatis dispenseris ad carnes, cessante causa, cessat, vel suspenditur dispensatio.

REGULA LXXIV.

QUOD ALICUI GRATIOSE CONCEDITUR, TRAHI NON DEBET AB ALIIS IN EXEMPLUM.

Hæc regula est similis aliis v. gr. 15, et 28.

REGULA LXXV.

FRUSTRA SIBI FIDEM QUIS POSULAT AB EO SERVARI, CUI FIDEM A SE PRAESTITAM SERVARE RECUSAT.

Nam frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem.

REGULA LXXVI.

DELICTUM PERSONAE NON DEBET IN DETRIMENTUM ECCLESIAE REDUNDARE.

Puta, si Prælatus delinquat ut persona privata, secus si delinquat cum Capitulo, vel si subditi ipsi graviter delinquant: tunc enim in poenam delicti Ecclesia potest dignitate privari. Item in Judiciis, maxime omittendo, Prælatus nocet Ecclesiæ. *Can. Placuit* 25. *Caus.* 16. *qu.* 3.

REGULA LXXVII.

RATIONI CONGRUIT, UT SUCCEDAT IN ONERE, QUI SUBSTITUITUR IN HONORE.

Intelligenda est regula: modo *onus sit reale honori annexum*. Sic successor in jure Patronatus tenetur Ecclesiam defendere sicut antecessor; et succedens in Prælatura tenetur solvere debita ra-

tione Prælaturæ contracta; secus vero si onera erant personalia, honori non annexa.

REGULA LXXVIII.

IN ARGUMENTUM TRAHI NEQUEUNT, QUAE PROPTER NECESSITATEM ALIQUANDO SUNT CONCESSA.

Vide Regulam 28. et 74.

REGULA LXXIX.

NEMO POTEST PLUS JURIS TRANSFERRE IN ALIUM, QUAM SIBI COMPETERE DIGNOSCATUR.

Etenim nemo dat quod non habet. Valet hæc regula quoad ea jura, quæ rem tangunt; non vero quoad alia aliunde pendentia. Sic possessor bona fide vendendo fructus transfert iu emptorem dominium irrevocabile, quamvis ille habuerit revocabile.

REGULA LXXX.

IN TOTO PARTEM NON EST DUBIUM CONTINERI.

Si ex. gr. alicui adiudicata est tota domus, actor deinde petere non potest partem illius.

REGULA LXXXI.

IN GENERALI CONCESSIONE NON VENIUNT EA, QUAE QUIS NON ESSET VEROSIMILITER IN SPECIE CONCESSURUS.

In genere commisso, nunquam contineri illas species, quæ speciali expressione sunt dignæ, indicat regula. Ita sub potestate generali commissa Vicario, non venit potestas criminalia exercendi, et sub potestate absolvendi a peccatis, non venit potestas absolvendi a reservatis.

REGULA LXXXII.

QUI CONTRA JURAE MERCATUR, BONAM FIDEM PRAESUMITUR NON HABERE.

Sic Monasterium vel Parochus percipiens decimas in aliena Parochia, præsumitur id agere mala fide, quia contra jus mercatur. Ita dic de aliis similibus. Nam tales vel sciunt similia a jure prohiberi, vel non sciunt. Si Sciunt, agendo contra jura mala fide agunt; si nesciunt, ignorantia juris parit in eis malam fidem juridicam, seu civilem.

REGULA LXXXIII.

BONA FIDES NON PATITUR, UT SEMEL EXACTUM, ITERUM EXIGATUR.

Regula procedit maxime in concursu plurium actionum; nam si per unam actionem quod est tuum consecutus es, non debes per alteram idem petere.

REGULA LXXXIV.

CUM QUID UNA VIA PROHIBETUR ALICUI, AD ID ALIA NON DEBET ADMITTI.

Valet in iis, quæ alicui simpliciter, et in se prohibentur; ideoque omnes etiam viæ, quæ ad illa perducunt. Prælato, cui prohibetur alienatio sine canonicis solemnitatibus, consequenter prohibentur etiam pignoratio, et compromissum. At si res ipsa non prohibeatur, sed tantum certus modus, poterit quis alio modo ad illam pervenire. Sic Episcopus venire non potest ad aliam Ecclesiam via electionis, sed potest via postulationis.

REGULA LXXXV.

CONTRACTUS EX CONVENTIONE LEGEM ACCIPERE DIGNOSCUNTUR.

Hic de privata lege sermo est, seu pacto contra-

ctui apposito; quod quidem est præter leges communes, non vero contra bonos mores. Sic a contrahentibus lex imponi potest, ut præstetur casus fortuitus, ut venditor in se suscipiat periculum rei venditæ, aut emptor periculum evictionis.

REGULA LXXXVI.

DAMNUM QUOD QUIS SUA CULPA SENTIT, SIBI DEBET, NON ALIIS IMPUTARE.

Sic tutor in administratione rerum pupillarium negligens, licet damnum incurrat, tamen non intelligitur damnum sentire, et sibi imputet.

REGULA LXXXVII.

INFAMIBUS PORTAE NON PATEANT DIGNITATUM.

Infamia juris quæ est perpetua, removet semper a dignitatibus, nisi a Principe tollatur. Infamia vero facti, quæ ex inhonesta vita oritur temporalis est, donec mores corrigantur.

REGULA LXXXVIII.

CERTUM EST QUOD IS COMMITTIT IN LEGEM, QUI LEGIS VERBA COMPLECTENS, CONTRA LEGIS NITITUR VOLUNTATEM.

Hoc est: peccat in legem, qui legem iuxta lite-

ram observat, sed contra legislatoris voluntatem, ex. gr. usurarius qui percipit usuras non in pecunia sed in mercibus, vestibus, obsequiis certe agit contra mentem legis; et Episcopus vel Parochus, quibus præcipitur residentia, contra sacrorum Canonum mentem ageret, si corpore residens domi, officium suum recte non administraret.

Hæ sunt juris Regulæ in VI., quas fuse explicarunt Glossa magna, Foebeus, et alii, quos consulere poteritis, lectissimi Juvenes, si lubet. Has si attente persæpe legeritis, maximam certe percipietis utilitatem, et ad Canonicam jurisprudentiam penitus introspiciendam, eæ vobis viam aperient.

NOTARUM
UTRIUSQUE JURIS
SIVE ABBREVIATIONUM
USU FREQUENTIORUM
EXPLICATIO

ap. Bonif.	*apud Bonifacium*. Vide in 6.
ap. Greg.	*apud Gregorium*. V. ê. ex.
ap. Justin.	*apud Justinianum*. V. Inst.
arg. ar.	*argumento*.
Auth.	*Authentica*, id est, summa novellæ alicujus Codici inserta.
C. cau.	*caussa*, sive in 2. parte Decreti Gratiani.
c. can.	*canone*, id est capitulo decreti ejusdem, aut alicujus Concilii.
cont. c.	*Contra*.
cap.	*Capite*, *Capitulo*, Decretalium Tituli, Novellæ alicujus, aut libri alterius, extra jus utrumque.
Clem.	*Clementina*, id est, Decretali Clementis V. seu Capitulo Tituli in Clementinis.
Cod.	*Codice* Justinianæo.
Cod. Theod.	*Codice* Theodosiano.

col.	*Columna*.
Coll.	*Collatione*.
D.	*Digestis*, Vide *ff.*
d. dist.	*Distinctione*, in prima præsertim Decreti Parte, et Libris Sententiarum Petri Lombardi.
d.	*dicta*, *dicto*, *etc*.
de cons.	*De Consecratione*, quæ est Tertia Pars Decreti.
de poenit.	*De pœnitentia*, in eo Tractatu Decreti, cau. 33. qu. 3.
ë. ê. ex.	*extra*, id est, in Decretalibus Gregorii IX. scil. extra Decretum Gratiani.
e. eod.	*Eodem* (supple, *titulo*).
ead. C. et qu.	*Eadem causa*, *et quæstione*.
Extr. Jo. XXII.	*Extravagantes Joannis Vigesimi secundi*.
f.	*finalis*, *finali*, *fine*.
ff.	*Pandectis*, seu *Digestis* Justiniani.
Gl.	*Glossa*, seu receptæ in Jus utrumque Notæ.
h.	*hic*
h. t.	*hoc titulo*
i. j.	*infra*
j. Gl.	*juncta Glossa*, id est addita ad Textum Nota Interpretis Glossæ auctoris.

in auth. Coll. 1. etc.	*in authentico, Collatione* 1. *sive* Novellis Justiniani, Sectione 1.
in Extr. comm.	*in Extravagantibus Communibus*
in f.	*in fine*
in p. dec.	*in Parte decisa*, id est, in ea Parte Decretalis, quæ refecta est, et omissa a Compilatore, tamquam minus necessaria, quam sæpe ex antiquis Collectionib. subjungunt Correctores Romani alio charactere.
in pr.	*in principio*, Legis, aut Tituli.
pr.	*principii*
Inst.	*Institutionibus Justiniani.*
in Sum.	*in Summa*
in 6. in VI.	*in Sexto*, in libro Decretalium a Bonifacio VIII. collectarum post quinque Libros Gregorii IX.
l.	*lege*
li. lib.	*libro.*
lib. 6. lib. VI.	*lib. Sexto*, sive inter Decretales Bonifacii VIII. cura editas.
Nov.	*Novella.*
pri.	*principium*, sive initium Tituli, vel Legis, ante §. 1.
q. quæst.	*quæstione*, id est, sectione Causæ in Decreto.
sc. scil.	*scilicet.*

Sum.	*Summa*, id est principium Distinctionis, aut quæstionis, vel epitome Legis, aut Capituli.
t. tit.	*titulus*, *titulo*.
v.	*versiculo*, id est, membro Paragraphi, aut Canonis.
ult.	*ultimo*, *ultima*, *etc.*
§.	*Paragrapho*, id est, Periodo Legis, Capituli; aut etiam Distinctionis, et Quæstionis in Decreto; ubi maxime de verbis Gratiani, extra Canones intelligitur.

DECRETALIUM
GREGORII IX.
RUBRICÆ

QUIBUS AD MARGINEM ALII QUOQUE TITULI TERTIO JURIS ECCLESIASTICI VOLUMINE CONTENTI NECTUNTUR

LIBER I. DECRETALIUM GREGORII IX.

	In VI. Lib. I.	*In Clem. Lib. I.*	*In Extr. Joan. XXII.*	*In Communib. Lib. I.*
Tit. I. De Summa Trinitate, et Fide Catholica.	Tit. I.	Tit. I.		
2. De Constitutionibus.	2			
3. de Rescriptis.	3	2		
4. De Consuetudine.	4			Tit. I.
5. De Postulatione Praelatorum.	5			2
6. De Electione, et Electi Potestate.	6	3	Tit. I.	3
7. De Translatione Episcopi.				
8. De Auctoritate et Usu Palii.				4
9. De Renunciatione,	7	4		
10. De Supplenda negligentia Praelatorum.	8	5		
11. De Temporibus Ordinationum, et qualitate Ordinandorum.	9			
12. De Scrutinio in Ordine faciendo.				
13. De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.				

	In VI	*In Clem.*	*In Extr.*	*In Comm.*
14. De aetate, et qualitate, et ordine Praeficiendorum.	10	6		
15. De Sacra Unctione.				
16. De Sacramentis non iterandis.				
17. De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.	11			
18. De servis non ordinandis, et eorum manumissione.				
19. De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.				
20. De Corpore vitiatis ordinandis vel non.				
21. De Bigamis non ordinandis.	12			
22. De Clericis Peregrinis.				
23. De officio Archidiaconi.				
24. De officio Archipresbyteri.				
25. De officio Primicerii.				
26. De officio Sacristae.				
27. De officio Custodis.				5
28. De officio Vicarii.	13	7		
29. De officio, et potestate Judicis delegati.	14	8		6
30. De officio Legati.	15			
31. De officio Judicis Ordinarii.	16	9		7
32. De officio Judicis.				
33. De majoritate, et obedientia.	17		2	8
34. De tregua, et pace.				9
35. De pactis.	18			
36. De transactionibus.				
37. De Postulando.				
38. De Procuratoribus.	19	10		
39. De Syndico.				
40. De iis, quae vi, metusve causa fiunt.	20			
41. De in integrum restitutione.	21	11		
42. De alienatione judicii mutandi causa facta.	22			
43. De Arbitris.				

LIBER II. DECRETALIUM
GREGORII IX.

	In VI.	*In Clem.*	*In Extr.*	*In Comm.*
TIT. 1. De Judiciis.	1	1		1
2. De foro competenti.	2	2		
3. De libelli oblatione.				
4. De mutuis petitionibus.				
5. De litis contestatione.	3			
6. Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem.				
7. De juramento calumniae.	4			
8. De dilationibus.				2
9. De Feriis.				
10. De ordine cognitionum.				
11. De Plus-petitionibus.				
12. De causa possessionum et proprietatis.		3		
13. De restitutione spoliatorum.	5			
14. De dolo, et contumacia.	6	4		3
15. De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae.	7			
16. Ut lite pendente nihil innovetur.	8	5		
17. De sequestratione possessionum, et fructuum.		6		
18. De Confessis.	9			
19. De Probationibus.		7		
20. De Testibus, et attestationibus.	10	8		
21. De Testibus cogendis, vel non.				
22. De fide instrumentorum				
25. De Praesumptionibus.				
24. De Jure-jurando.	11	9		
25. De Exceptionibus.	12	10		
26. De Praescriptionibus.	13			
27. De sententia, et re judicata.	14	11		

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
28. De Appellationibus, recusationibus, et relationibus.	15	12		
29. De Clericis Peregrinantibus.				
30. De confirmatione utili, vel inutili.				

LIBER III. DECRETALIUM GREGORII IX.

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
Tit. 1. De vita, et honestate Clericorum.	1	1		1
2. De cohabitatione Clericorum, et mulierum.				
3. De Clericis conjugatis.	2			
4. De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Praebenda.	3			
5. De Praebendis, et Dignitatibus.	4	2	3	2
6. De Clerico aegrotante, vel debilitato.	5			
7. De Institutionibus.	6			
8. De concessione Praebendae, et Ecclesiae non vacantis.	7	3	4	
9. Ne sede vacante aliquid innovetur.	8		5	3
10. De iis, quae fiunt a Praelatis, sine consensu Capituli.				
11. De iis, quae fiunt a majori parte Capituli.				
12. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.				
13. De rebus Ecclesiae alienandis, vel non.	9	4		4
14. De Precariis.				
15. De Commodato.				

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
16. De Deposito.				
17. De emptione, et venditione.				5
18. De locato, et conducto.				
19. De rerum permutatione.	10	5		
20. De Feudis.				
21. De pignoribus, et aliis cautionibus.				
22. De Fidejussoribus.				
23. De Solutionibus.				
24. De Donationibus.				
25. De peculio Clericorum.				
26. De Testamentis, et ultimis voluntatibus.	11	6		
27. De successione ab intestato.				
28. De Sepulturis.	12	7		6
29. De Parochiis, et alienis Parochianis.				
30. De Decimis, Primitiis, et oblationibus.	13	8		7
31. De Regularibus, et transeuntibus ad religionem.	14	9		8
32. De conversione conjugatorum.				
33. De conversione Infidelium.				
34. De voto, et voti redemptione.	15		6	
35. De statu Monachorum, et Canonicorum Regularium.	16	10		
36. De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectae.	17	11	7	9
37. De Capellis Monachorum et aliorum Religiosorum.	18			
38. De Jure Patronatus.	19	12		
39. De Censibus, Exactionibus, et Procurationibus.	20	13		10
40. De Consecratione Ecclesiae, vel Altaris.	21			
41. De celebratione Missarum, et Sacramento Eucharistiae, et Divinis Officiis.		14		11

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
42. De Baptismo, et ejus effectu.		15		
43. De Presbytero non baptizato.				
44. De Custodia Eucharistiae, Chrismatis, et aliorum Sacramentorum.				
45. De Reliquiis, et veneratione Sanctorum.	22	16		12
46. De observatione jejuniorum.				
47. De Purificatione post partum.				
48. De Ecclesiis aedificandis, vel reparandis.				
49. De immunitate Ecclesiarum, Coemeterii, et rerum ad eas pertinentium.	23	17		13
50. Ne Clerici, vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant.	24			

LIBER IV. DECRETALIUM GREGORII IX.

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
Tit. 1. De Sponsalibus, et Matrimoniis.	1			
2. De Desponsatione impuberum.	2			
3. De clandestina desponsatione.				
4. De Sponsa duorum.				
5. De Conditionibus appositis in desponsatione, vel aliis contractibus.				
6. Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possint.				
7. De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per Adulterium.				

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
8. De Conjugio Leprosorum.				
9. De Conjugio servorum.				
10. De natis ex libero ventre.				
11. De Cognatione spirituali.	3			
12. De Cognatione legali.				
13. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sposae.				
14. De consanguinitate, et affinitate.		1		
15. De frigidis, et maleficiatis, et impotentia coeundi.				
16. De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.				
17. Qui filii sint legitimi.				
18. Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.				
19. De Divortiis.				
20. De Donationibus inter virum, et uxorem, et de dote post divortium restituenda.				
21. De secundis nuptiis.				

LIBER V. DECRETALIUM GREGORII IX.

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
Tit. 1. De accusationibus, inquisitionibus, et denunciationibus.	1			
2. De Calumniatoribus.				
3. De simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.				1
4. Ne Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.				
5. De Magistris, et ne ali-				

	In VI.	*In Clem.*	*In Extr.*	*In Comm.*
quid exigatur pro licentia docendi.		1		
6. De Judaeis, Saracenis, et eorum servis.		2	8	2
7. De Haereticis.	2	3		3
8. De Schismaticis, et ordinatis ab eis.	3			4
9. De Apostatis, et reiterantibus Baptisma.				
10. De iis, qui filios occiderunt.				
11. De infantibus, et languidis expositis.				
12. De homicidio voluntario, vel casuali.	4	4		
13. De Torneamentis.			9	
14. De Clericis pugnantibus in duello.				
15. De Sagittariis.				
16. De adulteriis, et stupro.				
17. De raptoribus, incendiariis, et violatoribus Ecclesiarum.				
18. De furtis.				5
19. De usuris.	5	5		
20. De crimine falsi.			10	6
21. De sortilegiis.				
22. De collusione detegenda.				
23. De delictis puerorum.				
24. De Clerico venatore.				
25. De Clerico percussore.				
26. De maledicis.				
27. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.				
28. De Clerico non ordinato ministrante.				
29. De Clerico per saltum promoto.				
30. De eo, qui furtive ordinem suscepit.				
31. De excessibus Praelatorum, et subditorum.	6	6		

	In VI.	In Clem.	In Extr.	In Comm.
32. De novi operis nuntiatione.				
33. De Privilegiis, et excessibus Privilegiatorum.	7	7	11	7
34. De purgatione Canonica.				
35. De purgatione vulgari.				
36. De injuriis, et damno dato.	8			
37. De Poenis.	9	8	12	8
38. De Poenitentiis, et remissionibus.	10	9		9
39. De sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti.	11	10	13	10
40. De verborum significatione.	12	11	14	
41. De regulis juris.	13			

PONTIFICUM
ROMANORUM
INDEX CHRONOLOGICUS.

PONTIFEX CREATUS	ANN.
1 S. PETRUS.	45
2 S. Linus.	69
3 S. Cletus	80
4 S. Clemens I.	93

SAECULUM II.

5 S. Anacletus.	103
6 S. Evaristus.	112
7 S. Alexander I.	121
8 S. Sixtus I.	132
9 S. Telesphorus.	142
10 S. Hyginus.	154
11 S. Pius I.	158
12 S. Anicetus.	167
13 S. Soter.	175
14 S. Eleutherus.	179
15 S. Victor I.	194

SAECULUM III.

16 S. Zephyrinus.	203
17 S. Callistus I.	221
18 S. Urbanus I.	226
19 S. Pontianus.	233
Cyriacus Pontiani successor commentitius.	
20 S. Anterus	237
21 S. Fabianus.	238
Sedes vacat menses amplius sexdecim.	
22 S. Cornelius.	254
Primus Pseudopontifex Novatianus haereticus.	
23 S. Lucis I.	255
24 S. Stephanus I.	257
25 S. Sixtus II.	260

PONTIFEX CREATUS	ANN.
26 S. Dionysius.	261
27 S. Felix I.	272
28 S. Eutychianus.	275
29 S. Cajus.	283
30 S. Marcellinus.	296

SAECULUM IV.

31 S. Marcellus I.	304
32 S. Eusebius.	309
33 S. Melchiades.	311
34 S. Silvester I.	314
35 S. Marcus.	339
36 S. Julius I.	336
37 Liberius.	352
38 S. Felix II. *a quibusdam dictus.*	355
39 S. Damasus I.	367
Secundus Pseudopontifex Ursinus seu Ursicinus Diaconus.	
40 S. Siricius.	385
41 S. Anastasius I.	398

SAECULUM V.

42 Innocentius I.	402
43 S. Zosimus.	417
44 S. Bonifacius I.	418
Tertius Pseudopontifex Eulalius Archidiaconus.	
45 S. Caelestinus I.	423
46 S. Sixtus III.	432
47 S. Leo I. *Magnus.*	440
48 S. Hilarus.	461
49 S. Simplicius.	467
50 S. Felix III.	483

PONTIFEX CREATUS	ANN.
51 Gelasius I.	492
52 S. Anastasius II.	496
53 S. Symmachus.	498
Quartus Pseudopontifex Laurentius Archipresbyter.	

SAECULUM VI.

54 S. Hormisda.	514
55 S. Joannes I.	523
56 S. Felix IV.	526
57 S. Bonifacius II.	530
Quintus Pseudopontifex Dioscorus.	
58 Joannes II.	531
59 S. Agapetus I.	535
60 S. Silverius.	536
61 Vigilius.	540
62 S. Pelagius I.	555
63 Joannes III.	560
64 S. Benedictus I.	574
65 Pelagius II.	578
66 S. Gregorius I. *Magnus*	590

SAECULUM VII.

67 Sabinianus.	604
68 Bonifacius III.	607
69 S. Bonifacius IV.	608
70 S. Deusdedit.	615
71 Bonifacius V.	619
72 Honorius I.	625
Sedes vacat per annum et menses amplius septem.	
73 Severinus.	640
74 Joannes IV.	640
75 Theodorus I.	642
76 S. Martinus I.	649
77 S. Eugenius I.	654
78 S. Vitalianus.	657
79 Adeodatus.	672
80 Donus I.	676
81 S. Agatho.	678
82 S. Leo II.	682
83 S. Benedictus II.	684
84 Joannes V.	685
85 Conon.	686

PONTIFEX CREATUS	ANN.
Schisma electis Petro ac Theodoro.	
86 S. Sergius I.	687
Schisma electis Theodoro et Paschale.	

SAECULUM VIII.

87 Joannes VI.	701
88 Joannes VII.	705
89 Sisinnius.	708
90 Constantinus.	708
91 S. Gregorius II.	715
92 S. Gregorius III.	731
93 S. Zacharias.	741
94 Stephanus II.	752
95 S. Paulus I.	757
Sedes vacat plus annum. Constantinus et Philippus Pseudopontifices.	
96 Stephanus III.	768
97 Hadrianus I.	772
98 Leo III.	795

SAECULUM IX.

99 Stephanus IV.	816
100 Paschalis I.	817
101 Eugenius II.	824
Zinsinus Pseudopontifex.	
102 Valentinus.	827
103 Gregorius IV.	827
104 Sergius II.	844
105 S. Leo IV.	847
Huic quidam temere sufficiunt Joannam Papissam.	
106 Benedictus III.	855
Anastasius Pseudopontifex.	
107 S. Nicolaus I. *Magnus.*	858
108 Hadrianus II.	867
109 Joannes VIII.	872
110 Marinus I. *seu Martinus II.*	882
111 Hadrianus III.	884
112 Stephanus V.	885
113 Formosus.	891
114 Bonifacius VI.	896

PONTIFEX CREATUS	ANN.
115 Stephanus VI.	896
116 Romanus.	897
117 Theodorus II.	898
118 Joannes IX.	898
Sergius Pseudopontifex.	
119 Benedictus IV.	900

SAECULUM X.

120 Leo V.	903
121 Christophorus.	903
122 Sergius III.	904
123 Anastasius III.	911
124 Landus.	913
125 Joannes X.	914
126 Leo VI.	928
127 Stephanus VII.	929
128 Joannes XI.	931
129 Leo VII.	936
130 Stephanus VIII.	939
131 Marinus II. seu *Martinus III.*	942
132 Agapetus II.	946
133 Joannes XII.	956
Leo VIII. Pseudopontifex.	
134 Benedictus V.	964
135 Joannes XIII.	965
136 Benedictus VI.	972
137 Donus II.	974
138 Benedictus VII.	975
139 Joannes XIV.	984
Bonifacius VII. Pseudopontifex. Joannes filius Roberti electus.	
140 Joannes XV.	985
141 Gregorius V.	996
Joannes XVI. Pseudopontifex.	
142 Silvester II.	999

SAECULUM XI.

143 Joannes XVII.	1003
144 Joannes XVIII.	1003
145 Sergius IV.	1009
146 Benedictus VIII.	1012
Gregorius Pseudopontifex.	

PONTIFEX CREATUS	ANN.
147 Joannes XIX.	1024
148 Benedictus IX.	1033
Silvester III. Pseudopontifex.	
149 Gregorius VI.	1044
150 Clemens II.	1046
151 Damasus II.	1048
152 S. Leo IX.	1049
153 Victor II.	1055
154 Stephanus IX.	1057
Benedictus X. Pseudopontifex.	
155 Nicolaus II.	1058
156 Alexander II.	1061
Honorius II. Pseudopontifex.	
157 Gregorius VII.	1073
Clemens III. Pseudopontifex.	
158 Victor III.	1086
159 Urbanus II.	1088
160 Paschalis II.	1099
Clementi III Pseudopontifici suffecti Pseudopontifices tres.	

SAECULUM XII.

161 Gelasius II.	1118
Gregorius VIII. Pseudopontifex.	
162 Callistus II.	1118
163 Honorius II.	1124
164 Innocentius II.	1130
Anacletus II. et Victor IV. Pseudopontifices.	
165 Caelestinus II.	1143
166 Lucius II.	1144
167 Eugenius III.	1145
168 Anastasius IV.	1153
169 Hadrianus IV.	1154
170 Alexander III.	1159
Victor V. Paschalis III. Callistus III. Innocentius III. Pseudopontifices.	
171 Lucius III.	1181
172 Urbanus III.	1185
173 Gregorius VIII.	1187
174 Clemens III.	1187
175 Caelestinus III.	1191
176 Innocentius III.	1198

PONTIFEX CREATUS — ANN.

SAECULUM XIII.

177 Honorius III. 1216
178 Gregorius IX. 1227
179 Caelestinus IV. 1241
Sedes vacat menses ferme viginti.
180 Innocentius IV. 1243
181 Alexander IV. 1254
182 Urbanus IV. 1261
183 Clemens IV. 1265
Sedes vacat annos fere tres.
184 Gregorius X. 1271
185 Innocentius V. 1276
186 Hadrianus V. 1276
187 Joannes XX. *dictus* XXI. 1276
188 Nicolaus III. 1277
189 Martinus IV. 1281
190 Honorius IV. 1285
Sedes vacat menses amplius decem.
191 Nicolaus IV. 1288
Sedes vacat annos duos, ac menses tres.
192 Caelestinus V. 1294
193 Bonifacius VIII. 1294

SAECULUM XIV.

194 B Benedictus XI. 1303
Sedes vacat menses undecim.
195 Clemens V. 1305
Sedes vacat annos amplius duos.
196 Joannes XXII. 1316
Nicolaus V. Pseudopontifex.
197 Benedictus XII. 1334
198 Clemens VI. 1342
199 Innocentius VI. 1352
200 Urbanus V. 1362
201 Gregorius XI. 1370
202 Urbanus VI. 1378
Schisma magnum. Clemens VII. Pseudopontifex.
203 Bonifacius IX. 1389
Benedictus XIII. Pseudopontifex.

PONTIFEX CREATUS — ANN.

SAECULUM XV.

204 Innocentius VII. 1404
205 Gregorius XII. 1406
206 Alexander V. 1409
207 Joannes XXIII. 1410
Sedes vacat plus annis duobus.
208 Martinus V. 1417
Clemens VIII. Pseudopontifex.
209 Eugenius IV. 1431
Felix V. Pseudopontifex.
210 Nicolaus V. 1447
211 Callistus III. 1455
212 Pius II. 1458
213 Paulus II. 1464
214 Sixtus IV. 1471
215 Innocentius VIII. 1484
216 Alexander VI. 1492

SAECULUM XVI.

217 Pius III. 1503
218 Julius II. 1503
219 Leo X. 1513
220 Hadrianus VI. 1522
221 Clemens VII. 1523
222 Paulus III. 1534
223 Julius III. 1550
224 Marcellus II. 1555
225 Paulus IV. 1555
226 Pius IV. 1559
227 S. Pius V. 1566
228 Gregorius XIII. 1572
229 Sixtus V. 1585
230 Urbanus VII. 1590
231 Gregorius XIV. 1590
232 Innocentius IX. 1591
233 Clemens VIII. 1592

SAECULUM XVII.

234 Leo XI. 1605
235 Paulus V. 1605
236 Gregorius XV. 1621
237 Urbanus VIII. 1623
238 Innocentius X. 1644

PONTIFEX CREATUS	ANN.
239 Alexander VII.	1655
240 Clemens IX.	1667
241 Clemens X.	1670
242 Innocentius XI.	1676
243 Alexander VIII.	1689
Sedes vacat menses quinque, dies duodecim.	
244 Innocentius XII.	1691
245 Clemens XI.	1700
SAECULUM XVIII.	
246 Innocentius XIII.	1721

PONTIFEX CREATUS	ANN.
247 Benedictus XIII.	1724
248 Clemens XII.	1730
Sedes vacat menses sex, dies decem.	
249 Benedictus XIV.	1740
250 Clemens XIII.	1758
251 Clemens XIV.	1769
252 Pio VI.	1775
Sedes vacat menses sex, dies sexdecim.	
253 Pius VII.	1800

QUEM DEUS O. M. ECCLESIAE DIU SERVET INCOLUMEM (1).

(1) Vide opus summa doctrina, et eruditione conscriptum a Cl. Josepho De Novaes, cui titulus = *Elementi della Storia de' Sommi Pontefici, da S. Pietro sino al felicemente regnante Pio VII. In Siena* 1802. =

FINIS.